

regiis commodis, ut sibi videbatur, necessarium capesseret. Id autem de salariis & sportulis,  
 quæ ex publico ordinum militarium ærario dabantur, mensam vulgo magistralē (ut di-  
 xi) appellant, donec Carolus veniret auferendis. Sed tandem ad id faciendum duabus ra-  
 tionibus adductus fuit. Altera, quoniam regiis censibus per Ferdinandum multa pecunia  
 obæratis, necesse erat ad reip. commodis subueniendum, ut militibus merces assignata in  
 ære alieno neutiquam esset. Nam primum Germani milites ad Carolum è Belgio traicien-  
 dum, xx. millibus aureorum conducti erant, totidem ex templo (ut postea dicemus) Gome-  
 cio Buitronio, viro inter Astures primario, deputatis: nā hoc ipso anno Carolus se velafac-  
 turum promittebat. Classi quæ oram maritimam tuebatur, reparandæ & instituendæ, o-  
 cto millia numerabantur: præter multorum præsidiorum ædificia, præterque Nauarorū  
 prouinciæ stipendia, aliaque innumera impensarum genera, quæ in tam ampla regnorum  
 possessione facienda quotidie offerebātur. Iis autem omnibus sufficiendis, salariorum ab-  
 latione opportune succurri posse, cum præsertim Ferdinandi & Isabellæ regum catholicorum  
 morte, ea quoq; simul cessassent. Altera vero quæ sibi haud inferior videbatur, ut Ca-  
 rolus in altera regione natus, atque rerum nostrarum prorsus ignarus, dum singulis per Xi-  
 menium ablata restituit, nouis proceres beneficiis obligaret, seque cunctis amabilem red-  
 deret. Qua plane re satis ille declarabat, qua caritate & obseruantia erga regiam maiestatē  
 esset: quādōquidem modo regi suorum procerum, atque adeo omnium aliorum qui libe-  
 ralitatibus regiis fruebantur, aduenienti applausus constaret, propria odia susque deq; ha-  
 bebat. Sed dubitari potest, an hac in parte vir animi æqui & sinceri recte statuerit: neque e-  
 nem milites tantummodo commendatarios, sed aulicos nobiles, qui comitatum regiū se-  
 quuntur, quorum ingens numerus est, salariis iam olim deputatis, & multa quæ regum be-  
 neficentia ex eorum censu proceribus quibusdam, priuatisque aliis collata fuerant, abstu-  
 lit. Vbi ne affectibus suis indulgere crederetur, ex æquo amicos & alienos multauit. Nam  
 hæreditib; magni Gonsali, quem vnicē viuum semper coluerat, mortuumque itidem ob-  
 seruantia prosequebatur, plusquam quingenties centena millia nummūm, hac salariorum  
 ablatione perierunt: idque Ximenius factum suum magni faciens in epistolis ad Carolum  
 commemorat. Tello vero homini amicissimo, quem in ordinum militarium senatum ele-  
 gisse diximus, ad Bætim prope Hispalim frumentariæ molæ, quæ Pelagii Correæ cogno-  
 men olim tenent, ante annos quadraginta à regibus propter eius merita donatæ, rursus re-  
 gio censui restitutæ, occasionem dolendi attulerunt. Magnum incrementum regiis facul-  
 tatibus, ea salariorum & militarium antiquatio intulit: cæterum Ximenio ingens odium &  
 inuidiam conflauit. Nam si paria facere volumus: haud tanti apud Carolum eius diligentia  
 & industria habita sunt, quantum apud eos conceptum est odii, quibus viuendi auxilia in-  
 sperato demebantur. Itaque immanes illæ regii splendoris, & vetustæ aulæ impensæ, atque  
 largissimi & munifici sumptus sub frugi homine prorsus sunt accisi, & intra certos carce-  
 res coerciti, illique tantummodo relicti, qui necessarii omnino erant. Qua in re ne quis Xi-  
 menium omnino culpet, si modo hæc culpa & non potius laus censenda est, sciat Alexandru-  
 dum Seuèrum Romanorum imperatorem, qui inter optimos principes ab omnibus con-  
 numeratur, palatii maiestatem, & disciplinam restituere studentem, neminem in palatinis  
 haberi paßum, nisi necessarium hominem, malum pupillum imperatorem esse dicens, qui  
 ex prouincialium visceribus, homines non necessarios neque reipublicæ vtiles pasceret.  
 Supremæ igitur duntaxat curiæ senatoribus, priuatis palatii præfectis & ministris, militib.  
 limitaneis & præsidiariis, quatuoruiris capitalibus, & comitatus regii lictoribus, vrbaniis  
 hospitiorum metatoribus, prætorianæ etiam cohorti, & si qui alii ad regios usus necessarii  
 erant, salario & stipendia, quæ de more illis dabantur, reliquit. Vnde Petrus Martyr, & Gō-  
 salus Ouetensis, temporum illorum scriptores, suis quoque salariis priuati, calamo iniuria  
 illatam vlti sunt. Nam cum Ximenii præclaram virtutem antea commendassent, postea  
 dolore instigante parum æque de illo scripserunt. Certe huiusmodi viris salario vel de suo  
 Ximenius dare debuerat, præsertim P. Martyri, qui in gratiam regum catholicorum Baby-  
 lonica legatione functus fuerat, & multa quotidie scribebat. Sed Ximenius aliam ratio-  
 nē est secutus. Hoc q; de salariis, cæterisq; honorib. sublati diximus, non satis adhuc mihi  
 certum est, an Ximenii tantummodo consilio, an Caroli iussu confectum sit. Nam cum  
 frequenter in epistolis conqueratur, sibi ut malo genio aut cacodæmoni, partes auferendi  
 concessas esse, donandi vero prorsus detractas: & Belgis in memoriam reducat, se eorum  
 suauis in summo odio apud suos Hispanos esse: & rursus cum nihil apud Belgas, nisi ex Xi-  
 menii sententia gereretur, cunctique eum authorem fuisse crediderint, isque alicubi id-  
 psum confirmauerit, atque regios census augendos omni studio vbiique contenderet, de-  
 que eo serio & crebro multa verba faceret: res anceps & obscura redditur. Erat illi sane

cum primis persuasum, neminem principem neque bello neque domi res magnas, & reipublicæ salutares efficere posse, nisi census regii curam haberet. parumque illam opinionem probabat, qui regem quantumvis insumeret, prodigum futurum negat: siquidem opes quantumlibet immensas assiduis largitionibus dissipari, exhaustaque. Ideoque ut in donando caute & considerate se gereret, Carolo consuluit. Porro sibi accurate disquirenti, quod patrimonio regio esset perutile, tandem visum esse ad res principis amplificandas maxime conuenire, ut sublatis quibusvis pecuniarum regiarum coactoribus, vnu tantum vir nobilis & industrius, quætor maximus crearetur, ad quem res nummaria vniuersa perveniret, vnde ad publicas aut subitas quasque necessitates parata pecunia continuo numeraretur: quæ vero supererent ad liberalitates & largitiones, alio sive usus prout regi liberet, apud eum asseruarentur. Hoc se & alias monuisse dicebat, nescire tamen qua de causa rem perutilem contemplisset, nihilque vnuquam de ea consultasset. Interim certe se permisurū non esse, ut apud Ludouicum Sanctum Aragonium, qui ex curatoribus ærariis vnu erat, magisteriorum militarium prouentus, & quicquid ex orbe nouo aduehebatur, deponeretur: quoniam maritimæ oræ tutela, præsidia omnia, & cætera quæ supra sunt comitemora-ta, ex ea summa prouidenda essent. Sed quoniam ex statis regni vestigialibus, xx. millia aureorum Germanæ reginæ iubebantur dari, id ne fieret etiam prohibuit, quod ea ex Areuallenzi solo iuxta pacta conuenta essent petenda. Nihil enim damnosius regium censum lacerare dicebat, quam huiusmodi rationum confusio, & solutionis semel destinatae mutatio. Regulorum nonnullis, aliisque item aulicis hominibus, non contemnendas numerorum summas liberaliter à Carolo donatas, parum se probare declarauit: multumq; considerandum monet, ne id passim & temere fiat: semperque hoc vnum solcite dispiciat, querumna fidei & consilio se committat: multos enim se illi insinuaturos, non tam regiæ obseruantiae causa, quam priuatorum commodorum ratione. Quorum nonnullis hoc duntaxat propositum esse, regem in egestatem & angustias redigere, ut eorum operæ necessario imploretur, quas quanti libeat locent. Quemadmodum iam olim euensis, ex priscis historiis, refutique recentium monumentis facile cognosci poterat. Ergo secum paruper cogitaret, quæ sumptus impenderent, in reipublicæ necessitates primo quoque tempore faciendi. Illud etiam insolens & intolerabile, intra qua dimidio tempus quo regnare coepérat, ex statis vestigialibus, centies & vicies centena millia, ex aliis vero regiis prouentibus, plusquam sexages data esse: cum reges catholici, totis quibus regnauerant quadraginta annis, quantumvis benefici fuissent, eam summam non exæquassent. Quare ea omnia prorsus abscondenda esse censebat. Tabulas vero, quas à rege Ferdinando datas Enricus Fortuna, Anricus Almirantus, & Paciecius Ascalonius ostendebant, in quibus decies centies, ex noui orbis redditibus singulis donabantur, irritas & inanes esse iudicandas. Nam quæ tempore diuturnæ & acerbissimæ ægritudinis parum considerate promissa fuerant, præstari non debere ius est. Porro Enricum Fortunam, qui cognitionis vinculo Ferdinando regi perquam coniunctus, id mereri magis videri poterat, hominem esse præcipiti natura, & qui Gallorum quæfitis auxiliis, aduersus Carolum multa tentasset. Quod si liberalitatem, quæ reges in primis amabiles facit, exercere vellet, habere apud se nobilissimos ministros, qui prompte & fideliter suis iussis assidue obediuerissent, quos beneficiis, quoties facultas daretur, exornare posset: iustitiam vero erga reliquos omnes ex æquo coleret. Nam iustitiae munera sine discrimine omnibus esse tribuenda: liberalitatis vero ministris, pro cuiusque fideli sedulitate & dignitate. Tria enim sibi magnopere necessaria semper fuisse visa, quæ regis imperium ante omnia stabilirent, primum ut suum ius vnicuique tribuat, siue id æqualis conditionis homines à rege postulent, siue multū dissimiles. Deinde ut viroru militarium, præsertim qui animi fortis & strenui præclara dedissent documenta, ratione in primis habeat. Ultimū vero, quod magni momenti existimabat, ut censum regiū dissipari nō permittat: sed opes potius ex redditib. amplissimis continuo seponat, quibus res maximas & glorioas adoriantur, & efficiat. Ipse enim experientia didicerat quantum hoc referret, qui eo quadrimestri spatio, quo Carolo vicariam operam in moderandis sceptris præstiterat, tot res præclaras & egregias absolueraut. Nam Bæticos motus sedauerat: terrores Nauarrorum compresserat: Malacitanorum contumaciam coercuerat: limitanea præsidia armis & militibus communie-rat: & oræ maritimæ reddiderat tranquillitatem: incursionses in Africanam fecerat, classe aduersus Algerium missa: Bugiam, Peggionum, & Melillam, Horuscii Barbarossæ obsidione liberauerat: Lusitanis ad Argillam defendendam auxilium obtulerat: & demum grande alienum, quod sub Ferdinando regius census contraxerat, dissoluerat. Quod si ipse alienas partes agens, & malevolorum inuidia saepe impeditus, hæc potuit efficere, à sumptibus super-

superius abstinentia: quid censendum esse crederet de se ipso rege potentissimo, & cuius  
 cœlitudinem subditorum inuidia attingere non potest? Quod de classe ad Algerium expu-  
 gnandam missa ait, quamvis prosper successus illi defuerit, tamen ob data constantis animi  
 & inuicti signa, memorabile est. Non minus enim laudis ex ea re infecta reportauit, quam  
 quondam ex Orano capta. Algerium, quam nonnulli (sed vt opinor falso) antiquam Cirtā,  
 Iubā & Syphacis regiam esse credunt, eo tempore sub Hispanorum potestate erat, quibus  
 certum quoddam tributum quotannis pendebat. Sed cum interea Africana litora Horu-  
 scius Mitylenæus pirata, cognomento Barbarossa, cum fratre minore Haredino inf. staret  
 Bugiamque quam nostri tenebant, occupare laboraret, & ab eius obsidione alterius bra-  
 chii iactura repulsus esset: ab Algerianis ciuibus qui Hispanicum iugum excutere affecta-  
 bant, vindex libertatis accessitus fuit: atque intra vrbis incœnia receptus, totius iuuentutis  
 aduersus Hispanos dux constitutus. Haredinus cognomento quoque Barbarossa, Christi-  
 ani nominis acerrimus hostis, ille est, quem Carolus iam Romanorum imperator nostris  
 temporibus Tunete depulit, oræ maritimæ securitate parta. Aiunt permultum opera Mo-  
 rabitorum, ad persuadendos popularium animos Horuscium adiutum fuisse: qui assidue  
 proclamabant, nefas esse & rem indignissimam, generosos Mahumeti cultores, Christianis  
 hostibus non solum parere, sed etiam tributa pendere. Quare Horuscium virum fortissi-  
 mum & Christiano nomini infestum, qui eos ab Hispanorum seruitute liberare posset, re-  
 gem capesserent: nam & occasionem per opportunam à Deo illis oblatam esse, rege Ferdi-  
 nando per id tempus vita functo. Ximenium vero non esse cur timerent: nam quamvis O-  
 rano capta Africam olim terruerat, iam adeo graui senio oppressus, & multis negotiis è re-  
 gnorum gubernatione impeditus erat, vt celerrime è vita illi esset migrandum: Itaque nec  
 vires neq; otium Ximenio esse, ad res iterum Africanas inuadendas. His regionibus per-  
 suasæ turbæ, à Selimo Algerii principe deficientes, Horuscium regem creauerunt. Hic er-  
 go vrbē Mauritaniz celebri & littorali potitus, non solum Hispaniam maritimam quoti-  
 die vexabat, sed etiam ipsos Africanos regulos, autis imperiis deturbare conabatur: vt pau-  
 latim & Africam quoque ad Turcarum seruitutem traduceret, quorum armis & præsidiis  
 ex prædone rex factus fuerat. Inter hos cum Albuzeuenum Tenezium principem crudeli-  
 ter vita spoliasset, Iahia Albuzueni frater à Tenezensibus regno præficitur. Is paulo post  
 filio herede relicto mortuus est. Hic continuis Horuscii incursionibus afflictus, timuit ne  
 in eius manus incideret, & in Hispaniam tandem traicere decreuit. Ergo ad Ximenium  
 accessit supplex, se eius fidei commençans, & contra communem hostem opem imp'orās:  
 nam ob Hispanorum amicitiam, in eas calamitates & miserias se incidisse dicebat. Maluī-  
 se enim maiorum suorum exemplum sequi, qui Hispaniaz reges coluissent, quam Barba-  
 rossæ piratae adhærere. Ximenius humane respondit, curaturum se, ne amicitiaz cum Hi-  
 spanis initæ vñquam illum pœniteret. Delectus militum per Hispaniam haberi iubet, &  
 naues quibus in Africam appellerent instrui, vt pirata à nostris littoribus arceretur. Classi-  
 cum Fernandum Andradam præficere vellet, impetrare non potuit: quod ex tumultuariis  
 & rei militaris imperitis hominibus legiones illas coactas esse diceret: vnde potius ex illo-  
 rum opera ignominia, quam vlla gloria expectanda esset. Ximenius cui omnis repulsa mo-  
 lesta erat, æque ad preces descendebat, Didacum Veram tormētorum præfectum, cu-  
 ius industriam & fortitudinem, in Oranica olim expeditione expertus fuerat, ad eam rem  
 idoneum arbitratus, legionibus traditis ad Algerium expugnandam misit. Non nullis parū  
 attente Ximenius id fecisse visus fuit: quod is militari arrogantia inflatus esset, & casu po-  
 tius, aut fortuna, quam prudentia consiliove, quo carebat, victurus crederetur. Igitur octo  
 millium armatorum exercitu Didacus Vera ex Hispania soluit: in Africam ad Algerii littus  
 pridie diui Hiero, qui dies ante tertium Cal. Oct. est, appulit. Mauri, qui multo ante id resci-  
 uerant, finitimorum vndiq; euocatis auxiliis, ingenti Numidarum equitatu conducto, op-  
 pidum probe munierant. Horuscius cum sexcentis foriissimis Turcis sagittadi pœritis, quos  
 ad sui corporis custodiā ex Asia adduxerat, pro muris stans magnos suis animos ad hostiū  
 impetum propulsandum faciebat. Didacus Vera cum milites suos ad oppidum inuadendū  
 prædæ cupiditate plus satis paratos videret, in quatuor partes exercitum diuisi, sic in offi-  
 cio melius contineri posse ratus, & vt à quatuor item carli regionib. expugnationem Alge-  
 rii adorirentur. Aiunt cōtentionem fuisse ortam de militibus diuidendis, inter Veram, & a-  
 liquot tribunos: qui nil pernicioſius fieri posse aiebant, quā exercitum in tot minutis par-  
 tes frangere. Omne enim exercitus non numerosi robur, in omnium militum vniōne posi-  
 tum esse: præsertim cum pro certo accepissent, hostium præsidia quā instructissima & co-  
 pioſissima parata esse. Bene consulentib. Vera non auscultauit, quā de causa illi contumā-  
 ciores facti pugnam negligentius curantes, præcipitem consilio suo agi sruerunt. Nā nostri

quadrifariam diuisi Maurorum viribus impares fuerunt qui siue quod tribulos ferreos per vicos oppidi disseminassent, siue quod scrobes passim fodissent, quas leuibus virgultis & arundinibus terra leui iniecta contexissent, portas oppidi patentes relinquunt. Nostri punicas insidias veriti, ingressu neglecto, muros audacter descendere conantur: qui viribus Turcarum repulsi sunt, & aliquot capti è pinnis murorum, in contumeliam & ludibrium suspesi. Horuscus Turcas & Numidas egredi iubet aduersus reliquas exercitus partes: qui copiosiores atq; etiam animis, ob ducis nostri manifestam imprudentiam, elatioribus irruentes, Hispanum exercitum continuo fugant, atq; stragem & internecionem edunt. Didacus Vera consilio & militibus destitutus, fuga sibi & filio consulendum ratus, bonam (vt aiunt) eius diei partem, dum Mauri in nos tro saeuunt, in scopulorum caueris delituerunt. Postquam in Hispaniam appulit, imprecationibus passim accipiebatur: & contumeliosis puerorum cantilenis proscissus longe debilior Horuscio esse cantabatur, qui altero brachio carebat. Infausta ab eo tempore Algerii expugnatio nostris semper fuit: nam litoris illius importuosi stationem, male fidam nauibus semper experti sumus. Eius rei nuntium Ximenius sub Octobre accipit, multa iam noste, hominibus theologis de rebus sacris disputantibus assidens. Cum dictum esset, cursorum ex Africa ad fores adstare, vt intromitteretur iubet: & nihil sciscitatus, postquam literas ad se datas tacitus legit, sereno vultu circumstantibus dixit: Exercitus noster in Africa victus & profligatus esse nunciatur: sed parvam iacturam fecimus, Hispania hominibus facinorosis & audacibus exhausta est. Et rursus ad questionem theologicam disputandam est conuersus, qua absoluta ad corpora curanda discessum est, admirantibus cunctis Ximenii constantiam, & inuidum peccoris robur, qui nullum animi commoti signum in re aduersa & subita dedisset. Id autem, quod Hispaniam malis hominibus exhaustam esse dixit, ex regis Ferdinandi consuetudine & coquitu traxit: qui saepenumero expeditiones aliquas non alia de causa parandas esse aiebat, quam ut furibus, sicariis, ganeonibus, & perditis hominibus iuuentus Hispana expurgaretur: qua malorum consortio inutilis & vitiosa paulatim reddebatur. Hoc consilio iam olim in Atheniensium rep. Periclem clarissimum imperatorem usum esse, ex historiis nouimus: qui singulis annis classem ornare solitus erat, ut ignaua, turbulentia, & seditiosa plebe ciuitatem suam leuaret. Aemuli qui ex euentibus acta aestimabant, eam expeditionem tanquam parum prudenti consilio susceptam, paucique apto imperatori commendatam, apud Carolum criminabantur. Qua de causa aliquot epistolis clavis famam Ximenius extenuat: nam mille tantum homines ex vniuerso exercitu, ad numeratis etiam captiuis, desideratos fuisse ad Carolum scribit: & culpam in Didacum Veram aperte reiicit, tametsi iacturam nihil esse faciendam dicat: bonam tamen spem habere, magno cum hostium damno & detrimento se vindictam sumpturum. Ad Leonem vero Pont. Max. ut ex eius responsione per Petru Bembum edita appareat, grauius aliquid scripsisse certum est. Nam magna molestia se affectum esse Pont. respondet, quod exercitus quem in Africam Ximenius transmisisset, magnam plagam apud Algerium accepisset: vna tamen re dolorem suum leuorem fieri, quod ipse animo fractus non esset, neque quicquam de ipsius ardore & diligentia eam ob causam esse detractum: atque verbis amplissimis, eum ad alterum exercitum comparandum, & ad rem publicam Christianam iuuandam adhortatur: animumq; illum dignum eius virtute, dignum etiam autoritate quam supremam Carolus ei dabat, diutius retinendū esse, atq; adeo saepius aduersus communis hostes incitandum: cum praesertim ex recenti, & mirifica Turcarum regis contra Sultanum Aegyptium victoria, non dubium erat, quin insolens & exultans Turca, vere ineunte mare nostrum infestaturus esset, atq; classe inimica repleturus. Quod commune malum ceteris quoque principibus Christianis se indesinenter denunciatum, ut communibus votis & praesidiis, hosti potentissimo vniuersi resistant, bellumq; cum eo aduersus Turcas vnanimes capessant. Ex quibus sane literis plane constat, Ximenii amplitudinem & autoritatem, non modo apud Hispanos clarissimam, sed etiam apud exteris gentes illustrem fuisse. Sic enim Pont. Max. cohortationibus ad regios contus suscipiendos instigatur, ut solent reges, & magni principes. Nimirū bonam negotii conficiendi partem, ex eius industria & labore pendere intelligebat. Fuit etiam sub hoc ipsum tempus edictum Ximenii, ex regii senatus authoritate, aduersus mercatores Genuenses, qui nostras vrbes frequentes incolunt, per vniuersam Hispaniam promulgatum, quo iubebatur, ut intra certum dierum spatium, ex Hispania discederent, alioqui bonis priuandi & capite puniendi. Tam acerbī edicti causam hanc fuisse apud Martyrem reperio. Ioannes Riuus, qui Didacum Veram ad Algerianam expeditionem inter praecepios comites secutus fuit, modicis parentibus Toleti ortus, sed bellicis artibus & animi praestantia per omnia insignis, longa & probe munita triremi piraticam interdum prospere exercebat. Hic in mercatores

catores Genuenses aliquando incidens, naues eorum & opes deprædati, datum non mediocria (vt aiebant) illis intulerat: quare sedulo curabant, vt sese occasio offerret, qua prædonem vlciscerentur. Accidit igitur vt sub mensem Iulium, tres onerariæ Genuensium naues apud nouæ Carthaginis portum, lanarum asportandarum causa in anchoris essent. Nam cum ouium Hispanatum vellera, tenuitate & mollitudine præstent, innumeri lanarum facci ad alias regiones ex Hispania quotannis traiiciuntur. Aderant præsidii causa totidem naues, omni bellico apparatu, atq; militibus Genuensibus munitæ: quibus respub. iussierat, vt Ioannem Riuum prædonem interea quærerent, & meritas poenas ab illo sumarent. Ig. tur dum ea de causa in anchoris sunt, ecce classis Hispana aduenit, cui præerat Capitanus Berenguellus Muschoti dominus, vir in illa prouincia primarius, dignus qui propter generis nobilitatem, & spectatam sui parentis erga regem Ferdinandū fidem, honorificis muneribus præficeretur, quanquam animo non nihil remisso, & ad pericula ignauo habebatur. Huic comes veniebat Ioannes Riuus, quem ex triremi longa Genuenses agnoscentes, eum sibi tradi multis obtestationibus à Berenguello petunt: cum præsertim ex fœdere cum Hispaniæ rege facto, si quis hostis alterutrius fuisset, utriusque præsidiis & armis, esset oblata occasione puniendus. Id cum Berenguellus arroganter despexisset, Genuensis præsidia irritata, quod iusta oratione impetrare nequiuerunt, Ioannem Riuum vi adorunt, & eius triremem tormentis pene subruunt. Commotus Berenguellus, satis inepto & degenerè consilio præsidiariis nauibus relictis, quibus cum ob illatam iniuriam, configendū erat, in nihil commeritas onerarias tormenta sua hostiliter contorquet. Vim vi repellendā Genuenses decernentes, cum præsertim insolentes impetiti essent, tres demittunt è nauibus scaphas, & singulis bina tormenta imponunt, & nostram classem præfecto carentem (illico enim vt ad manus veniendum fuit, Berenguellus prælium deseruit, & classe neglecta terrā petiit) assiduis iactibus male multant: & ex quatuor Hispanis triremibus, duas vi tormentorum confregerunt: quarum altera submersa fuit. Berenguellus interea tumultu urbem cōplens, eam iniutiam quæ prorsus ad læsam maiestatem pertinebat, neutiquam esse ferendā clamitans, machinis tormentariis in Carthaginis tutelam comparatis, Genuenses esse repellendos admonet. Cœpit pugna gratiiter accendi, & vt in tumultu & seditione fit, cæco furore concitatis animis, nihil consilii vel remedii capiebatur. Vtrinq; æneæ glandes tormentis emittebātur: vrbis tecta concutiebantur: eminentiores turres concidebant: nihil hostilius ab immanibus Turcis misera ciuitas potuit expectare. Tandem magna vtrinque edita strage noctis interuentu certamen dirimitur. Hoc factum Ximenii animum acriter commouit: neq; enim tanti faciebat Ioannem Riuum piratam à Genuensibus capi, quam per summam iniuriam fœdus violari, & regis nostri maiestatem contemni. seq; eo tempore sceptra moderantem, tam manifesta contumelia affecisse. Hac ergo de causa in Genuenses edictum, quod diximus, promulgavit. Berenguellum vero ita ex ea re oderat, vt eum classis præfectura priuare apud regem curauerit, & ad Ioannem Velascum virum strenuū, & Bernardini comestabilis iam defuncti filium transferre. Sed Berenguelli patroni, id non tam Ximenium reip. causa: quam affectui priuato indulgentem contendere, apud regem identidem affirmabant: quorum dictis fidem tex habuit, & Berenguellum ferme per Ximenium exauthoratum rursus pristino muneri testituit, quatuor millibus aureis ad iacturas sarcinas insuper additis. Quapropter Ximenius acerbiori in Berenguelli ignauiam epistola ad regem data, id neutiquam faciendum esse scripsit. Quod si Velascus propter parvæ rerum maritimæ experientiæ impar esse præfecturæ credebatur, Barchionenses & Valentinos maritimos populos sese offerre, ad omnem oram Hispanam tutandam, propriis commeatibus & sumptibus vniuersæ classi necessariis: quorum promptam ad eam rem voluntatem, eo præsertim tempore, non esse reiiciendam. Nam postquam seculares induciantur Genuensibus pactæ exierant, veteres similitates, quæ ob Sardiniam Mauris quodam proditam inter ipsos intercedebant, capitali odio renouari videbantur. Porro mirati se dicebat illorum inconsiderantiam, qui Berenguellum regia beneficētia adaugendū curauissent, qui acerbiori custodia, quam eius conterraneus Quintus, qui aptū Belgas ob læsam maiestatem in vinculis erat, puniri meruerat. Sed nihil apud Carolum promouit, Belgis auxiliis Berenguello studiose patrocinantib. Eius causam tunc mite adiuuit, quod sub extreamum Augustum, acti & crueto prælio, quod magna utriusq; partis cōtentione per solidum ferme diem durauit, quatuor Turcarum piraticas triremes Berenguellus nouē nostris probe instructis cepisset, Turcis ad vnum captis aut confossis: cum toto sexennio ex quo ille præfectus classi fuit, mare nostrum Mauris insolenter infestatibus, nihil egregium aut præclarum gessisset. Erat Ximenius suopte ingenio fortium virorum studiosissimus: unde magnum Galatum & Bernardinum comitabilem summe coluit: Fernandum Andradē non

vulgari comitate tractabat: compluresq; alii hac vna ratione, quamuis infimo loco nati es-  
sent, apud eum in primis commendabantur. Quare res eo tempore effecit, vt virorum for-  
tium numerosa turba ad eum vnde cor. fluxerit: atque respub. militaribus exercitiis flo-  
rens, exteris principibus, rege absente, terrori fuerit. Berenguello vero indignabatur ob  
semel conceptam de illo opinionem, quasi remissi & imbellis animi esset: à qua nunquam  
diuelli potuit. Genuenses vero, quos edicti promulgatio ob intercepta lucra & bonorum  
cunctorum proscriptionem male habuit, illico ad Belgas traientes, publica legatione a-  
pud Carolum regem se se excusarunt: molestissimum id suis ciuibus accidisse, quamvis Be-  
renguello temeraria insolentia occasionem iustissimam dedit: Remp. tamen eius nomi-  
ni deuotissimam parum Berenguello imprudentiam curauisse, modo foedera cum ea dicta <sup>10</sup>  
conseruarentur: atq; ita senatum decreuisse, vt nauium illarum præfecti capitatis rei conti-  
nuo haberentur, cæteris vero qui præfectis consensissent, vt quamprimum patriam terram  
appellerent, commeritas pœnas reipublicæ darent. Verum Deum immortalem iustissimū  
delictorum vindicem, occasionem quam quærebant præripuisse, qui naues illas apud Ni-  
cæam, in Villafrancę portu consistentes, subito & insperato turbine correptas, & ruptis ru-  
dientibus, anchorarumq; retinaculis, miserabilis spectaculo in gyrum actas, cum viris plus  
quam trecentis submersisset. Cuius rei atrocitatem & durissimam fortunam adeo nihil eos  
commouisse, vt potius grauiter tulerint, scelestos homines & foederum violatores, diuina  
potius vltione periisse, quam reipublicæ vindicta, quæ in exemplum posteriorum erat fu-  
tura. Carolus illorum apposita oratione placatus, quicquid noxæ admiserant benigne con-  
donauit, & Ximenii edictum abrogandum esse placuit. Ximenius contra seuerus instare,  
in regiam maiestatem peccantibus haud ita leuiter ignoscendum esse, & nouas causas ac-  
cidisse, propter quas Genuensium bona apud sequestros essent detinenda. Ex autem hu-  
ijsimodi erant: Petrus Nauarrus, quem ad Africanam expeditionem imperatorem Xime-  
nius habuerat, cruenta illa apud Rauennam pugna, cum fortissimi militis & optimi ducis  
partes abunde præstitisset, à Gallis captus, & odio quorundam nostrorum, quos infensos  
habebat, in custodia neglectus, à rege Gallorum solicitatus, classi Gallicæ hac (vt aiunt) cō-  
ditione præficitur, vt nauibus & pedestribus copiis, consilio & præsentia sua consulueret,  
manus autem cum Hispanis conserere, aut regem suum apud quem in pretio habitus sti-  
pendia fecerat, aperto Marte offendere non teneretur. Is eo tempore sedecim nauium classe <sup>20</sup>  
Massiliam veniens delectus militum studiose faciebat, nec dubium esse, quin ille totus ap-  
paratus aduersus Calabriam & Siciliam instrueretur. Nam Genuensium classis, quæ pau-  
lo ante Gallicæ adiuncta fuerat, Panormum adoriendi suspicionem dederat, Camarino &  
Goliscano eiusvrbis primariis hominibus clam auxilium ferentibus, post Nauarri vero ad-  
uentum aperte rem gerentibus. Neq; enim alia de causa, vir eius oræ peritissimus superue-  
nerat, nisi vt eius ductu & consilio, qui Campana & Sicula littora tam probe nouerat, totā  
illam regionem infestarent. Periculum itaq; esse, ne Maximiliano Cæsare aduentum suum  
in Italiam differente, Gallorum potestati Mediolanum & Neapolis cederent. Addebat etiā  
Barchionensium legationibus certiorem factum esse, quotidie in eorum portibus Genu-  
enses & Gallos sese ostendere, omnemq; illum Catalonia tractum sub specie distrahenda-  
rum mercium illis hominibus repletum esse, qui vltro citroq; cōmeantes, frequentes nun-  
cios in Galliam mitterent, indeq; rursus acciperet. Quæ omnia belli quidem aduersus Ne-  
apolim præparati indicia erant: sed iam tandem literis per arcanae notas scriptis, quas Cau-  
coliberensis arcis præfectus interceptas ad se miserat, vniuersam rem deprehēsam esse. Nā  
in eis Genuenses classis suæ præfecto imperabant, vt tam à Gallis quam à cæteris confœde-  
ratis, aduersus Hispanos præsidia peterent, beneq; deinceps sperarent: nam iam fortunæ a-  
spirantis principium sese ostenderat, celoce Hispana apud Sardiniam capta, plusquam cē-  
tum militibus instructa. Quare bono animo essent. neq; villam rerum necessiarum inopia  
timarent: nam in duabus insulis Sardinia & Sicilia, omnia prouisa & disposita esse, quo si  
angustiis premerentur, tuni & securi se reciperent. Idcirco sibi id sententiæ esse, vt ex supel-  
lectile Genuensi, quæ apud sequestros erat, nihil propriis dominis restitueretur, donec illi  
motus apertius innotescerent. Nam si foedus rādem violare nō cessarent, propria pecunia  
oppugnari posse. Quare tatis per suo edicto authoritas dāda, quoad de eorum erga nos tristis  
fidei euētus testimonium daret. Neq; enim tantopere Genuensium negotiationē Hispani-  
nis regionib. necessariam esse, vt non parum multi prudentes homines repertiantur, qui nō  
modo eorum commercia parum esse nobis fructuosa affirmant, sed vehementer etiā per-  
nicioſa: quod tamen alterius considerationis esset. Porro legatos se Genuam misisse, qui de  
his omnib. agerent, atq; eorum animos explorarent. Hæc quidem Ximenius diligētissime  
monebat: sed Genuenses fidem Caroli implorantes, tandem in pristinā cōditionē, Ximenio  
etiam

etiam approbante restituti sunt. Nam legatis, quos ad eos miserat, benignissime suscepis, omnem suspicionem quam de Neapolitano bello conceperat, abunde ademerunt. Nauar-rus quoque pro veteri amicitia per Taramonam presbyterum familiarem suum, se apud Ximenium expurgavit, maritimas illas copias, totumque illum naualem apparatus, pro antiquo suo instituto aduersus hostes religionis parari affirmans: viresque suas & solitos conatus se potius aduersus Africana littora, quam contra regnum Neapolitanum, aut contra Siculam oram intendere. Dum hæc aguntur, Naiarenis Nauarræ prorex ad Ximenium scripsit, Caroli literis iubeti, ut equestre præsidium, quod in Nauarrorum finibus tenebat, Maximiliano imperatori, ad Brixiae obſidionem in Italiam descendantem concederet. Ille enim Galicæ potentiaz infringendæ causa, nepoti prospiciens, in Italiam festinabat: quoniam totum illum Insubriæ tractum, qui à Mediolano in Bononiam est, Gallus occupauerat: cuius copiaz in dies magis augebantur. Id ut diligenter ficeret Ximenius rescriptum: sed per celestes cursores Carolum monuit, ne Brixiae expugnationem imperator avus frustra tenteret, esse enim, urbem natura & loco munitissimam: sed Mediolanum continuo contendat, quæ capta, non solum Brixiae dominum futurum, sed vniuersæ Italicae opulentiaz, quæ ex Mediolanicis negotiationibus & commerciis, propter regionis felicitatem constat. Se vero nisi ei aliter videretur, si Neapolim Gallus intendat, validissimo ex Hispania coacto exercitu, Lutetiā versus in Gallias irrupturum. Et quoniam nonnullos ex Neapolitanis regulis, qui priuatorum negotiorum causa apud eum erant, parum comitem à Belgis aulicis tractari audierat, & moras in reb. quas efflagitabat iniquo animo sustinere, meminisset Neapolitanorum mores, qui leuibus de causis nonnunquam acriter irritantur: & daret operam, ut omni benevolentiaz & ciuitatis genere deliniti, domum quamprimum fieri posset redirent. Militum Hispanorum legionibus, quæ ad Neapolim eo tempore erant, in summarum inopia constitutis, subueniendum statim esse censere. Nam stipendia quæ meruerant numerari flagitabant, ut ex Arellano tribuno, qui à prorege eam ob causam ad se venerat, cognoscere poterat: nam in eo articulo res Italicas positas esse, ut pótius regiæ familiæ, quam Neapolitanis militibus argentum sit negandum. Ad cæteros vero Italiae motus sedandos, Pontificis maximi animum captandum: de quo, quamuis ille omnia pollicetur, se non admodum securum esse. Nam cum non ita pridem Gallis ad conferenda coopandaque sacerdotia liberali animo, certis sub legibus, ius concessisset, & condonationes item pontificias, quæ à crucis protectione, cruciatæ dicuntur, has à nobis saepius flagitatas, nouas causas necendo, denegavit. Id autem fieri, ut vires Gallo adaugeantur, certissimum esse: neq; enim bellum cum religionis nostræ hostibus se gerere, aliamve publicam causam procurandam suscepisse, poterat prætexere: cum Hispani per nongentos annos, eum Mauis perpetua prælia conseruerint, sanguinemque suum in defensionem crucis, & religionis propagationem effuderint, & adhuc effundant. Este itaque summum Pontif. si opus foret interdum perterrefaciendum, quemadmodum à se quoque nuper esset factum: qui liberiori epistola eum admonuerat, ut se erga reges Hispaniaz indulgentius gereret, & multa alia quæ in hanc rem esse videbantur. Quare etiam atq; etiam videret, quem suo nomine legatum Romam mitteret: nam permultum in eo deligendo interesse, cuius ob Hispanorum in urbe frequentiam magna authoritas & potentia erat. Ergo Petrus Vrrea Belgarum fauore apud regem commendatus, non quidem Hieronymo Vico successor datur, sed pari cum eo potestate Romam mittitur: quam aliquot mensibus non admodum concordes, ut in imperii consortio soler fieri, gesserunt. Nam Martinus Cotillus sic ad Ximenium, cuius cum Petro Arteaga negotia Romæ procurabat, scribit de cardinalibus, qui aduersus Pont. max. cōiurasse accusabantur. Sauli (inquit) & Vrsini cardinalium causa, in portu (vt aiunt) est & propediem liberandi credūtur: nam iam cōtrouersia ad clausulam perducta est, & vades Pont. max. dati. Ingens ad hanc rem fautor, noster orator Hieronymus Vicus est, egregieq; illorum partes agit: quo fit ut Petrus Vrrea cōfide aduersetur, & in contrariam partem inclinet. Neq; enim fieri vlo pacto potest, ut duo simul legati cōcordem operam, & regi nostro profuturā, apud Pont. vnquā præstent, nisi alter alteri cedat, à quo hi nostrilōge absunt. Nā Petrus Vrrea regio fauore insolens, legati munus arrogantius exercet: Vicus cōtra ex suis opibus, & ex fratribus Raimundi cardinalis dignitate animos sumit: præsertim quod tam recentum experientia, quā iudicij acumine & grauitate, Petro Vrrea præstare se videt: vnde attētus auscultatur in sententiis dicēdis. Quare tēpus esse expectandum existimat, neq; vlo modo Vrrea cedēdum. Qui Vrrea proprius nouerūt, multum eius virtuti deferunt. Nam cum Caroli iussu Mediolanum in Maximiliani ducis auxilium venisset, quem Gallus deturbare principatu contendebat, atq; Heluetii, quos Maximilianus selectos apud se habebat, Hispanis anteponi niterentur, ille forti & præstanti animo Heluetiorū superbię sese opposuiti

illamq; celebrem vocem edidit. s̄pē Hispanos Heluetiorum terga conspexisse, cum illi rāro Hispanorum vultus ferre potuissent. Hāc de legatis per regem mittendis. Monebat etiam, pari cura considerandum esse, quales legati in Hispaniam à Pont. max. mitterentur: nā totius reip. tranquillitatem ex eorum ad principes suos relationibus pendere: s̄pēq; numero accidisse, vt illorum stultitia aut insolentia, motus grauiissimi coorti fuerint. Certiorēm porro factum se esse, nuncium à Pont. Max. in Castellam mitti Laurentium Putium, Laurentii Putii cardinalis nepotem: quare in rem nostram esse vt omni conatu rex intercederet. ne homo leuissimus, & futilis ad nos mitteretur. Nam Putium cardinalem superbū esse, & auditatis inexplebilis virtio laborare, ex suorum literis didicisse. Magnam itaq; reipublicā Hispanā perniciem euenturam si hic Romæ, ille in Hispania ad res pro libito tractandas mutuam sibi operam dedissem. Dum externis rebus apud Carolū prouiden-<sup>10</sup> dis Ximenius occupatur, multa reipublicā nostrā propria sese interim quotidie offerebāt, in quibus constituendis eius virtus etiam elucebat. Erat in Hispania numerus eorum frequens, qui Iudæorum superstitione relīcta, ad verum Dei cultum transferant: sed multi quotidie ob violatam religionem accusabantur. Et cum iudicia exercerentur, nulla testiū publicatione facta, apud regem omni studio & arte contendebant, vt apertis testimoniis vniuersa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadam nummorum summa. Nam vt ex Mazuequi regii consiliarii ad Ximenium literis intelligitur, plusquam octingenta aureorū millia, eo tempore regi offerebantur: idque iam confectum per Belgas esse crebris rumoribus apud nostros iactabatur. Rursus Cathalonii apud Pont. Max. altera ex parte in-<sup>20</sup> stabant, hoc ipsum petentes: & fortasse impetrassent pecunia oppugnantes, nisi Laurentius Putius cardinalis, Hispani nominis studiosus haberi volens, regium legatum admonuisset, qui Ximenium certiorem hac de re fecit: cuius autoritate & monitis, Cathalonii sumum Pontif. solicitare destiterunt. Ad Carolū vero mirari se Ximenius scripsit, quod ex sacrosancti Tribunalis legibus, quæ per reges catholicos tam accurato consilio examinatae & exploratae fuissent, quicquam mutari (vt aiebant) permisisset. Priuatim quoque doluisse, quod se adiutore & hortatore id esse factum à quibusdam iactaretur: cum apud Pont. Max. Cathaloniis, ne id consequerentur, ipse potissimum impedimento fuisset: & multo ante apud auum Ferdinandum rei nummaria in opia laborantem, quando bellum Nauarrense gerebatur, intercessisset, ne sexcenta aureorum millia acciperet, quæ modo annuisset, con-<sup>30</sup> tinuo numerabantur: qui Christianā religionis cultum & obseruantiam, atque in Deum immortalem insignem pietatem, pluris quam diuitias & auri aceruos faciens, illius tribunalis leges stabiles ratasque manere voluit. Haberet itaque in oculis tam præclarum & recens aui sui exemplum, ne quid mutandum in cognitione causarum, quæ ad religionem pertinent, censeret. Nam quicquid ab aduersariis obiiciebatur, sub regibus catholicis in vtranque partem satis disputatum fuit: & hanc vnicam viam fuisse repertam, qua religioni labanti consuleretur. Quare si à Deo Opt. Max. incrementa etiam suscipere, & exornari cuperet, eandem quoque viam iniret, qua eius aui perpetuam sibi gloriam pepererant. Nā vt cætera exempla taceret, vnde satis constaret legem de testium nominibus non edendis immotam esse oportere: illud recensere velle, quod nuper in Talabrigensi tractu accide-<sup>40</sup> rat: nouum quendam è Iudæo Christianum ad tribunal Inquisitionis appellatum, qui absoltus, cum in testis cuiusdam notitiam deuenisset, insidiis in solitudine dum iter facit circumuenit, & hasta transfixit. Tanta enim est ea ex re infamiae acerbitas, & tanta turpitudinis nota inuritur, vt si hoc remedio non succurratur, permulti ad hunc modum non solum in solitudine, sed in foro ipso & iudicium subselliis, perituri atrociter sint. De quibus omnibus, si certior fieri accuratius cupiebat, habere apud se Alphonsum Manricum Cordubēsem Episcopum, & Lupum Aialam procuratorem suum, qui rerum istarum magnam cognitionem tenerent. Carolus religiosissime se gerens, qua virtute ab illis adeo initis ad ultimam vsque ætatem semper enituit, Ximenii consilium secutus, sacrosancti tribunalis auctoritatem conseruavit. Agebatur per ea tempora, de Bernardino Carauialo Cardinali, in Seguntinum Episcopatum restituendo: nam coniurationis in Iulium secundum Pontif. Max. causa, cuius ipse princeps est habitus, sacerdotiis omnibus priuatus, insuper Senatu motus, vitam ignobilem & extorrem traduxerat. Cæterum Leonis x. benignitate, & Caroli regis fauore in Senatum iterum receptus, omnia ablata restitui postulabat, sedulo id Ximenio contendente. Successerat ei in Seguntina ecclesia Federicus Portugalius, regio Aragonum sanguine, & familia nobilitate per quam illustris. Magni nominis aduersarius Carauiali negotium dubium reddebat: nam quamuis & regis voluntas, & Ximenii conatus Carauiali causam tuebantur, aderant ex vniuersa nobilitate Federico patroni, qui tem per tumultum acturi credebantur. Nam Inachum Mendoza Infantatus ducem,

qui

qui nuper ingenti omnium, sed potissimum studiosorum mœrore, quorum ille patronus & fautor semper fuit, anno M. D. LXV. sub mense Septembre fatis concessit, dicentem audiui, se eo tempore ad Ximenium à patre Didaco missum, atque cum eo multum expostulasse, quod in Federico exturbando tantopere laboraret, quem Isabellæ Aragoniæ quam nuper ipse vxorem duxerat, non vulgari propinquitatis gradu coniunctum nosset. Quæcum liberiori oratione à se dicerentur, Ximenium quanuis irritatum, magno artificio responsum temperauisse: nam & illum seuera oratione corripuisse, & ita blando sermone intermisto iuuenili feroce excandescētem demulsiisse, ut inde Ximenii studiosissimus, quadamque prorsus ingeniorum (vt Inachus aiebat) sympathia erga hominem amplissimum affectus discesserit: sæpeque mecum de eius animi magnitudine & constantia, singulari eulogio, & honorifica & profusa mentione, egerit: cum alioqui grauis & excelsi animi vir, non nisi optimos & meritissimos homines testimonio suo, idque parce, cohonestados duceret. Igitur dum de Carauajalo, reducendo agitur, diocesis Seguntina in diuersas factiones diuisa, nonnulli Carauajalo, alii Federico studebant. Hæc cum in dies pertinacius agitarentur, similitatibus in odium gliscentibus, ad arma & rixas deueritum est. Et in ea dioecesi Almazahum, oppidum ditionis comitis Montacutani, in quo tumultum hac de re exortum, non aliter sedari posse visum fuit, nisi quæstori per regium Senatum misso, qui in eius authores seuerissime de more animaduerteret. Hic, vt plerunque huiusmodi iudices carnificinam exercere solent, in miseram plebem, terrorem (vt aiunt) incutiendi causâ, non modo insolenter, sed crudeliter & inhumane sanguine cœpit. Comes cum ad Senatum de eius immanitate & dementia retulisset, nihilque tādem ab his prouideretur, subditorum iacturis consulens, Ferdinandum Calderonum (nam id erat quæstori nomen) Almazano per vim expellit. Senatus Montacutanum, vt pote læse maiestatis reum, & Adrianus Ximenii socius acerbissime accusandū decreuerunt: diemque illi continuo dicendum. Id Ximenius neutriquam permisit, iureque suo id Montacutanum fecisse dixit, qui toties apud Senatum questus, nihil remedii attulisset. Hoc autem quod de Carauajali & Federici controuersia diximus, Guterri à Toletto Placentini præsulis morte diremptum est: nam ea ecclesia Carauajalo per Carolum data, Federicus Seguntinam retinuit. His ad hunc modum sedatis, cum sub Ferdinando rege, vrbium & oppidorum præfecturæ obscuris hominibus plerunque committerentur, per pauci ex nobilitate qui eas ambirent intuerentur. Quocirca Ximenius in hac quoque parte reipublicæ consulens, prisca nostrorum regum consuetudinē reuocata, viros ex omni nobilitate selectos, moderandis prouinciis præfecit: quorum catalogum non pigebit facere, nam nonnulla eis acciderunt, quæ si prætermitterentur, non nihil series historiæ laderetur. Comiti Lunæ Hispanensem regionem tradidit: Fonsalitano Callaicorum fines: Palmario Toletanos: Falcensium marchioni Baecios in Bætica & Vbetanos: Ioanni Velezio huius fratri Paxaugustanos: quos ad remotissimas Lusitanias & Bæticæ partes amandassæ dicitur, vt longe illos à Nauiarris locaret, quorum permulti Alebrittenis, non ita pridem pulsi, desiderio non vulgari tenebantur: Petro Reginoso Giennenses: Ioanni Zapata Madritenses Astigitanos: Alcaratiros Aluaro Luxano: Villenates Antonio à Cor-  
duba: Bernardino Menesio, qui Talabrigensem ad Oranum (vt diximus) dux fuit, Murgitanos: Guterio Quixadae Conchenses: Gaditanos Alphonso Guzmano: Bernardino Astunigæ Molinenses: Petro Castillo Agredenses: Alphonso Syluae Toletano Trusillanos: Didaco Gomecio Aialæ Placentinos: Ioanni Sandio Carauajalo, Cardinalis fratri, Salmantenses: Bertrano Gueuaræ Madritenses: Pintianis cuius præuincia administratæ rationem eo tempore præfectus reddebat, Lupum Zapatanum, vt inuenio, designauit: Abulensis: Bernardum Matam Guadalfajarensem: Legionensis Gonsalum Ayoram, de quo in Africæna expeditione diximus: Sanctifacundiæ, & Carrionensis Sanctum Brauu: Ioannem Gaitanum Malacitanis. Qui quoniam sine honesta excusatione Ximenii mandatum, & regias tabulas de Gaitano recipiendo contempserunt, palam interminatus est, se iterum aduersus eos militares cohortes missurum, quæ sine villa veniæ spe eorum fines hostiliter diriperent. Palantini tamen & Cantabri, quamvis nobilibus præfectis caruerunt, duos insignes iurisperitos sortiti sunt, Leonem & Callaicum: quorum secundus in examinanda Ferrerii præfectura, quam Toleti aliquot annos sub Ferdinando tenuit, præclaram operam (vt diximus) Ximenio commodauit. Lauretanæ tétrapolis cum Rengifum sancti Iacobi cōmandatarium designasset (hic autem est quem de morte Ferdinandi nuntium ad Belgas venisse scripsimus) & plusquam annum, quod tempus ad capessendam prouinciam more maiorum definitum est, non impetrato commeatu, absuisset, Villaroellum iuris item peritia clarum, & rara quādam prudentia prædictum successorem exemplo dedit: qui cum iam proxime Lauretum accessisset, per ministros, quos forte præmisserat, certior est factus, tabulas regias

Aaaa

è Belgio venisse, quæ Rengifo præfecturam protogabant: & eius vicario facultatem dabant, vt si quis aliis præfectus mitteretur, aut eum non susciperet, aut in vincula coniceret. Id iniquo animo Ximenius accepit, atque ea de re apud Carolum & Belgas proceres multum expostulans, indignissime secum agi scripsit, proflusque contra factas inter ipsos pactiones: conuenerat enim ut officia ad exequendam iustitiam pertinentia, quæ aut annum, aut biennium durabant, Ximenii arbitrio distribuerentur. Tum quod illi tam longe absentes, parum priuatorum hominum dexteritatem, aut ignauia cognoscebant: tum quod prouinciarum præfecti nisi à Ximenio designati fuissent, parum obsequentes ei futuri erant: quandoquidem & quos ipse præfecerat, & quibus magistratum abrogare etiam poterat, sape imperata facere imprudenter negabant. Proinde mirari se dicebat, cur sententiam mutassent: timereque maxime, ne ipsis rerum nostrarum & legum ignaris, à maleuolis & pessimis fucus factus in ea re fuisset. Carolo in memoriam reducebat, quemadmodum non ita pridem per literas priuatas iussisset, vt eis continuo successores daret, qui à regionibus & prouinciis traditis ultra tempus à iure præscriptum quavis de causa abessent. Itemque partim eam ob rationem, partim quod Lauretana tertapolis per præfectorum absentiam, vt sunt mores illorum hominum, graue damnum capere solet, Villaroellum ad eos misisse: cuius ea erat experientia, authoritas & doctrina, vt vel Toletanæ præfecturæ par esse posset. Si quis Ximenii naturam æstimauerit, generosumq; illud & contumeliam impatiens ingenium in re præsertim tam manifeste iniusta, durum id accidisse arbitrabitur sed in hoc quoque prudentiæ suæ documenta dedit. Sentiens enim aliter fieri non posse, quin in tanta rerum & negotiorum mole, vbi ipse vicario nomine regnabat, permulta interdum per regem absentem irritandasarent, quæ ille grauiter & iuste procurauisset. Sed eius animum non mediocriter exacerbavit Burgensis urbis præfectura, quæ se inuito & renitente, Belgarum fauore Petro Castellæ mandata fuit. Is enim nescio quas ob causas à Ximenio neglectus, cum nihil unquam ab eo imperaret, ad Carolum traiecit, & Belgis aulicis curantibus, Burgensis urbis præfectus constituitur; & in Hispaniam veluti de Ximenio triumphatus reuersus, eo insalutato & inconsulto, prouinciæ curam & moderationem cepit. Multa ab eo in gratiam Inachi Velasci comestabilis affinis sui, qui semper in ea urbe primarium locum tenuit, facta sunt: multa item regio nomini & iuri sufficientia. Nam inter alia Laræ arcem, quæ regio custodiad eam prouinciam in officio continendam, per præfectos regios committitur, perniciose consilio Burgensi Senatui, contra pacta olim cum maioribus conuenta, custodiendam & tenendam tradidit: quanuis Pomareda, qui tunc Ximenii iussu in eius acta, qui eo magistratu abierat, inquirebat, vehementer intercederet. Burgenses eius arcis custodiæ, parum prudenter Giofredum Connannum Belgam, Philippi I. regis Hospitorum metatorem, qui ius ciuitatis apud eos obtinuerat, præfecerunt, hominem dicacem, & Velasco familiarem & assiduum. Hisce omnibus commotus Ximenius, quid Burgis ageretur ad Carolum scribit: eumq; per literas hortatur, vt Giofredo homini ad eam rem inepto, eius arcis custodia auferatur. Idem censemebat cum Petro Castella præfecto faciendum, si Galli aut Nauarri bellum rursus, ut dicebatur, instaurarent. Vtrumque vero esse à Carolo prouidendum, ne ipse cum Burgensis, aut cum Petro Castella in certamen descenderet. Cum tamen de his rebus cum Didaco Castella templi Toletani decano agerem, viro grauissimo, acerrimique iudicii, & qui rerum nostrarum non mediocrem notitiam habet, mirari se aiebat, quod Petrus Castellæ homo simplici & generoso animo, moribusq; proflus innocentibus quicquam aduersus Ximenium tentasset: cum non ita pridem sub Ferdinando rege Phillipū Castellam Petri fratrem, Didaci decani parentem, à Ferdinando rege neglectum, vt qui Philippi generi partes sequutus fuisset, Ximenius multos dies benignissime fouverit & aluerit, donec ad Carolum traiecit. Burgenses vero Ximenii indignationem veriti, sub prætextu Manzanetum commendandi, quem ex arcanis Ximenii notis Pomaredam nuper appellauimus (sic enim illum appellare libuit, nomine in Latinam linguam inclinante) quo secretius ageretur, epistolam reuerentia plenam de eo non abrogando ad Ximenium miserunt, nonnullis interim commemoratis, quæ ille ad reip. utilitatem facere exorsus, ad finem perducere si urbi ultra præfuisse studebat: quale est, de municipalibus Burgensium legibus, quæ dispersæ iamdiu, insigni reip. documento vagabantur, colligendis & emendandis: item de tota Burgensi regione lustranda, deque multis fundis & veſtigialibus, de agrorum etiam limitibus in ea per priuatos homines usurpatis, ad publicos usus restituendis. Nam cum de eius voluntate in Manzaneto conseruando certi essent & securi, nunquam in animum induxerūt, præfectum ad eam urbem Ximenio inconsulto à Carolo missum iri. Quod tunc plane insolens & insperatum accidisset, alioqui ipsi apud Belgas, tam pro debita in Ximenium obseruantia

seruantia, quam pro magna in Manzanetum caritate, quam ob eius singularem in reipublica  
 vtilitate procuranda industriam conceperant, summe fuerant curaturi. Porro Giofre-  
 dus, quid de se Ximenius ad Carolum scripsisset certior factus, vt erat dicaculus, & scurrili  
 pene licentia, Ximenii acta cauillis & calumniis, atque amaris dictoris apud Carolum &  
 Belgas traduxit. Multos ad magnos honores Ximenius euexit, quos non est operæ pretium  
 recensere: vnum tamen aut alterum propter eorum celeberrima & clarissima nomina, &  
 blandissimam fortunæ indulgentiam, quibus ad excelsas dignitates obtinendas gradus cer-  
 te per Ximenium est factus, obiter annumerabo. Cum Dertuensis Episcopus, qui in Ara-  
 gona Inquisitoris maximi officio fungebatur, diem suum obiisset, ad Carolum accurata o-  
 ratione Ximenius scripsit, idq; suo procuratori studiose curandum summopere commen-  
 davit, vt Adrianus Florentius imperii socius, Dertuensi ecclesiae, & sanctæ Inquisitionis of-  
 ficio sufficiatur: hominē enim esse syncerū & probum, ab omniq; prorsus avaritia alienū:  
 externorum insuper natalium causa, ad prouinciam factiosam illis in rebus moderandam  
 per quam accommodum. Nam se Inquisitionem Castellæ, & illo Aragoniæ tenentibus, o-  
 mnia rite & religiose procuraturum iri. Dertuensem ecclesiam Adrianum obtinuisse cer-  
 tum est, quæ aditum illi ad purpureum galerum, & deinde ad summum Pontificatum ape-  
 ruit: de Inquisitionis officio dissimulatum est. Cordubensem itidem ecclesiam Episcopo  
 carentem Alphonso Manrico Paxaugustano, reguli Najarensis filio, tradendam curauit:  
 Paxaugustana vero, quām nunc Pacensem vocant, vt Motæ Burgensi, regio secretario, ho-  
 mini Theologo mandaretur effecit. Manricus postea ad Hispalensem concendit, & Xi-  
 menio mortuo Inquisitor maximus fuit. Motæ vero Palantina ecclesia cohonestato, cum  
 iā prope culmen constitutus esset, morte præoccupatus, purpureo galero & Toletano pon-  
 tificatu fui non licuit. Morte instantे orationem grauitatis & sanctimoniac plenam ad su-  
 os familiares habuisse fertur: in qua postquam de fallaci hominum spe, de reū mortalium  
 inconstantia differuisset, binas literas ex scrinio quod ad manum habebat deprompsit, al-  
 teras summi Pontificis galerum offerentis, alteras Caroli iam tum Cæfani nomen adepti,  
 quibus vt eius salutem diuæ virgini Deiparæ, quæ Toleti pietate maximu colitur, commen-  
 daret hortabatur: & vt ipse etiā vicissim firmus & incoluini, illius ecclesiæ moderandæ cu-  
 ram susciperet: quæ omnia (inquit) morte impediri videtis. Sed necessitatib; aut diuinæ po-  
 tius voluntati parendum est, quæ hominibus Christianis quod vrbius ad salutem æternam  
 est, proculdubio tribuit. Quare ego me diuino arbitrio libentissime committo, & vos eti-  
 am quāquam multum perire vestris commodis sentiatis, debetis summi Dei decretum pa-  
 tienter ferre, & omnes vitæ vestræ rationes, illi vt patri indulgentissimo permittere. Sed il-  
 lud memorabile est, vt prudentissimos etiam homines doñitate nonnunquam intelliga-  
 mus. Fuerat Mota regi Philippo Caroli patri à concionibus, post cuius mortem cum pa-  
 rum Ferdinando catholico esset gratus ad Belgas traieci, vt & cæteri Philippi ministri, sed  
 fasciculis literarum quos à nostris regulis suscepserat cœratus: nam illi in Ferdinandi odium,  
 Maximilianum imperatorem ad Hispaniæ gubernacionem euocandum curabant. De eare  
 Ferdinandus certior factus, cum Bernardino coestibili genere suo re communicata, vt  
 magnanimum regem decebat, Motæ profecti nem neutquam impediuit, satis enim ha-  
 buit hominis conatum eludere. Nam Bernardinus Burgos profectus, vbi itineri necessaria  
 Motam conuasare intellexit, fasciculos dixi literarum, per sedulos ministros clam  
 subtrahendos curauit: quod facile vir ea vrbc potentissimus efficere potuit. Venit ad  
 Belgas Mota, nihil omnino de intercep literis suspicatus. Eius aduentus, qui iam regu-  
 lorum literis innotuerat, cupide ab omnibus expectabatur, quos ipse iam præsens alacio-  
 res eretioresque reddiderat, omniz egulorum nomine pollicendo: in cuius rei fidē, cun-  
 ãtorum ferme literas se adferre iacabat. Sed apertis vasib; vbi sublatas esse vidit, Bernardini  
 astu & calliditate id factum fu: e, facile Carolo, & Belgis qui Ferdinandi diligentia nouerant, vt alioqui facundus per asit. Cœperat Mota, vt homo parum cautus neglegi: sed  
 paulatim virtutis suæ multis iurebus specimen proferens, Caroli & Belgarum approbatio-  
 nem meruit: eamque gratia tandem consecutus est, quæ in summo (vt dixi) fastigio illum  
 collocauerat. Talis Ximeus in exornandis nobilibus fuit, talis in viris præclaris adaugen-  
 dis: quos non solum m: stratis, beneficiis, sacerdotiis, aliisq; multiplicibus emolumentis  
 prosecutus est, se ciam honorificos titulos, aut ipse per se dedit, aut per Carolum dan-  
 dos curauit. Ioan: Paciecum Pacieci Ascaloni filium, comitem titulo sancti Stephani,  
 patre petente, ip: dominauit. Guillermus Peraza ex Aialæa familia, Gomeræ Comes (quæ  
 vna est ex insuli fortunatis) esse cupiebat, vt per Carolum appellaretur Ximenius effecit.  
 Nam vt ex eis pistolis constat, Guillermus præter suam dignitatem, & claritatem gene-  
 tis, Ximenii meuolentiam priuatis officiis, regis autem multis obsequiis abunde quidem

demeruerat: quare si illo titulo cohonestaretur, gratum sibi magnopere & voluptati futurum ait: præsertim cum ex hac re nihil regis commodis deperiret, imo vero eius maiestas & fiscus magis dilataretur: prorsusque id fieret, quod in proverbi speciem a nostris hominib. iactatur, ut concubina in matrimonium illi collocaretur. Quod huic comitis titulum per regem conferri voluerit, Pacieci autem filio per se contulerit, id opinor in causa fuit: quod de Guillielmi titulo prius est actum, & ad suam modestiam pertinere putauit, vt per regem id faciendum curaret, ne ambitione aliqua eam quoque facultatem rege inconsulto sibi assumere videretur. Laudauit eius prudentia Carolus, quod facultate concessa vt noluisset, & vt posthac audacius se gereret imperauit. Quare in Pacieco condecorando, anno sequenti suo munere functus est: vt Carauajalus in annalibus scribit.

## LIBER SEPTIMVS.

**A**NNVS decimus sextus rebus supra narratis componendis moderandisq; effluxit: decimus septimus qui Ximenio fatalis fuit, & quo Carolus in Hispaniam nauigauit, varios regulorum motus, difficiles exitus, populares denique tumultus habuit. Hi quoniam anno proximo iam cœperant, & ferme usque ad Caroli aduentum durarunt, in principio huius voluminis narrabuntur: vt postea minus impedito sermone contentiones cum regulis habitas edifferamus. Postquam Ferdinandus catholicus obiit, Carolus per literas & frequentes nūcios pollicitus est, se vere ineunte (nam sub extremum Ianuarium Ferdinandus obierat) in Hispaniam vela facturum, quod omnibus ciuitatibus mirum in modum gratum fuisset. Veruntamen cum eius aduentus per totum eum annum dilatus esset, multaque interim accidissent, in quibus Ximenii gubernatio non satis æqua quibusdam videbatur, iis nempe, qui rege absente res nouas moliri decreuerant, vnde eorum patrimonia augerentur: Belgæ rerum nostratum imperiti, & auri Hispani audi, multa sacerdotia & officia, tum publica, tū priuata, externis hominibus, & nostratibus nonnullis, sed parum idoneis, vt Carolus tribueret effecerunt. Exportabatur interea ingens pecuniae vis ex Hispania nemine prohibente: cœperunt populi rem præsentire, & in fraudem reip. fieri clamitabant. Accesserunt reguli nonnulli Ximenio infesti, qui vulgus incenderent, & vt rex quamprimum veniret flagitarent: & vt Belgis relictis, deuotaro Hispaniam vise- et adhortarentur, quæ illi potentia & neruos, regiæq; adeo maiestatis splendorem, vna potissimum, inter amplissimos quos teneret principatus, daret. Cum autem annum elapsum esse, & adiuc etiam differri regis aduentum animaduerteret, variis rumores dispersi sunt, in multo loci spatum protrahi affirmantes. Grauius itaque fremitus & urgentius instare: nam Gali quibus Carolum in Hispaniam venire molestū & graue erat, cum natalis soli amore capti Hispaniam auersari iactauerant. Quare rationem accommodam excogitasse, qua sui cupissimis populis fucum faceret, sibique rursus moram ampliorem necteret, qui duram & mestam populorum moderationem, suo ingenio & iuuenili ætati parum aptam fugiebat. Erat deinceps mentebantur, simulatque classis Hispana in Belgium venisset, omnibus in speciem nauigaturi apparatis, incunctatet nauim concordare, & iubere vt anchoræ soluantur: id statim nauicam vehementem simulatum, cuius prætextu in Morinos ad portum reliqui esset illi redeundum. Alii vero Gallum in animum induxisse aiebant, omnibus modis in Hispaniam aduentum impedire: proinde Belgas aulicos parum honestis conditionibus in Gallum curare, vt per Galliam iter Carolo concedatur. Illud Ximenius falsum fuisse ait: hoc vero quod verisimilius videbatur, si ipse audiretur, nequaquam esse faciendo censebat. Gallos enim semper nobis infidos fuisse: quare ne in custodia apud Gallum retinetur, donec Neapolim & Nauaram traderet, vereri se dicebat. Reim esse inconsiderant plenam, & reipublicæ vehementer perniciosa, per Galliam iter facere, in tam verisimiliæ fidicæ suspicione, nisi Rex Galliæ sibi obses interea daretur. Non nihil hi motus compressi sunt. Laxai Belgæ per id tempus aduentu. Is enim quod & Philippo regi amicus fuerat, & Caesario filio tunc à cubiculo esset, per acommodus visus est, ob acutum etiam & sagax ingenium, id Ximenio & Adriano tertius ad rem. moderandam accederet. Reguli qui in Ximenii idiam multiscriperant: eius potentia in trium uitatum diuisam, infractam & imminutam fore sperabant. Nam & Adrianus eorum suasus, & instigatorie ad Belgas scriperat, se impetrare esse ad Ximenio resistendum, quod vir superbus & consortis impatiens, sua voluntate in modis atque faceret attulisse.

attulisse Laxaum rati, tandem interquierunt, donec alterum Adriano similem (hoc est  
 desidiosum, & remissum hominem) temporis tantum eximendi causa missum esse, intelle-  
 xisse se dicerent. Reguli tanquam id in Ximenii contumeliam factum esset, palam exultare:  
 omni gratulatione Laxaum excipere: omni cultu & reuerentia, non tam ex animo, quā Xi-  
 menii simulatione, prosequi. Ximenius vero fortitudine animi, & perpetua vita constantia  
 subnixus, quanuis in suā authoritatis fraudem Laxaum venisse aperte intelligebat, adeo id  
 dissimulanter tulit, vt non secus ac si rex aduenisset, omnes regii comitatus ordines Madri-  
 tum a duentanti prodire obuiā iusserit. Is enim primus Caroli nomine ad nos veniebat, post  
 regis titulum assumptum. Reguli Ximenii imperio non expectato, clientibus quisque suis  
 stipatus, in occursum certatim processerunt. Adrianum nuntii Romani (duo enim tunc a-  
 derant) Burgensis item Antistes, & Antonius Fonseca frater comitabantur. Maximi etiam  
 praefecti militarium legionum commendatariis longo agmine praeuentibus, praefectus vr-  
 bis, & ordo decurionum nobilitate municipali adiuncta, Aragonii legati, & postremo am-  
 plissimus regii Senatus ordo, cui sanctæ Inquisitionis, & regii census, ac priuatarum rerum  
 præsidēs, maiestatis ergo se adiunxerunt. Simul etiam processit Episcopus Abulensis cum  
 Ximenii familia. Huic se comites in Ximenii gratiam addiderunt, Ascalonius Villenatum  
 marchio, Gironius Vrrenatum Comes, marchiones Comarenſis & Aquilius, & Beltranus  
 Cueua, Alburquerii ducis maior natu filius, comites Oropesanus, & Fernandus Andrada,  
 & Bernardinus Cluniensis, & Aiala Fonsalitanus, & quem Ximenius Stephani titulo nuper  
 insignierat, Ioannes Paciecus Ascalonii filius: præterea nobiles alii viri permulti, quos Gon-  
 salus Ciaconius ducebat: nam marchio Plegianus, & Palmæ Comes, suis vterque gentili-  
 bus cinctus, Abulensi adhæsisserent, nisi tunc populari fluxionis morbo, quem rheumatismus  
 Græci vocant, laborassent. Magna mentio huius morbi inter illius temporis scripto-  
 res est: neque enim Hispaniam solum, sed Belgas etiam & Gallos atque ferme vniuersam  
 Europam, epidemiam cuiusdam instar, inuaserat: quemadmodum & nostra ætate accidisse  
 vidimus anno M. D. LVI. Nemo enim adeo salubri victu, aut selecta diæta est vsus, qui no-  
 vi fluxionum febriculis & rigoribus correptus, pestilentem ægritudinem senserit. Vidiq;  
 ego cœnobia & collegia cunctis ferme sodalibus decubentibus, languorem illum im-  
 portunum sensisse. Nostrates vt cauillis gaudent, quod ille morbus Ximenii tem-  
 pore priores Belgas inuaseret, hoc vnum malorum defuisse dicebant, quod ad nos Bel-  
 gæ cum cæteris miseriis transmittenrent, lētam rerum moderationem & ignauos qui mit-  
 tebantur praefectos subnotantes. Igitur hi omnes obuiam processerunt: solus Ximenius  
 personæ quam gerebat ratione habita, domi sua mānsit, & ad secundas cubiculi fores pro-  
 gressusvenientem hospitem exceptit. Et quod raro solebat, ea nocte opipare & appareat  
 illum accepit, & omni sermonis cōmitate est prosecutus. Sed quoniā palatii cōclauia potio-  
 ra Ferdinādo Caroli fratri, Germanæ itē reginæ, & Ximenio cesserat, donec locus hospitio  
 accōmōdūs in eo appararetur, Abulensis in Laxai gratiam à cubiculo suo migravit. Reguli  
 interea ad Laxaum ventitare, & oblique vt Ximenio se in omnibus opponeret instare: il-  
 lumque velut in hostem instruere & armare. Sed solitum tenorem in moderanda rep. Xi-  
 menius seruans, hominis ingenio perspecto, qui ad risus & iocos pronior erat, quam ad res  
 cum grauitate tractandas, quod à Ximenii moribus in primis alienissimum erat, raro illum  
 ad negotia vocabat. Quod si quādo ut id faceret necessitas vrgeret, Adriano primas tribue-  
 bat. Accidit vt complices tabulæ regiæ ad diuersos reipub. usus expediēdæ fuerint, quam  
 occasionem Adriānus & Laxaui iam tunc captates, regulis forte submonentibus, ad se pri-  
 mo tabulas deferendas curatunt, & priores partes chirographo suo occupates, nouissimum  
 locum Ximenii chirographo reliquerunt. Quæcum ad Ximenium delatae essent, ambi-  
 tione Belgarum animaduersa, vatiā illorum arrogantiam contempsit: & accersito scribæ,  
 vt tabulæ omnes quæ ad eum modum signatae erant, rumperentur iussit: & totidem suo tan-  
 tum chirographo notatae scriberentur, & ad negotia quæ gerenda erant mitterentur. Hunc  
 morem ad regis usque aduentum Ximenium tenuisse certum est: cum ante hoc factum ab  
 Adriāno simul signari permetteret. Nihil Belgæ repugnare sunt ausi, sed illis tamquā quartæ  
 personæ scēnæ seruientibus, solus Ximenius imperium exercebat. Magis ac magis ab  
 eo facto indignatio æmolorum ad Ximenium inuidia onerandum crevit: Belgæque ipsi  
 quamuis de eius integritate certi, nescio quo pacto subuerteri cœperunt, ne ille tandem po-  
 tentia abutens, sibi & Carolo negotium fasset. Ideo Armastophum virum grauiorem,  
 & cubiculo regio præpositum, certis de rebus legatum, pari cum aliis potestate mittendum  
 curant. Sed quoniā Ximenius, quemadmodum de Tiresia ab Homero proditur, solus in-  
 ter illos sapiebat, neque tertii legati præsentia est fractus, aut segniot in rebus gerendis fuit,  
 aut quicquam de constantia sua remisit: sed ipse solus quidquid è Republicæ utilitate fa-

ciendum videbatur, parum illorum sententiis expectatis, singulari præstantia exequebatur. Belgis quoque qui apud Carolum erant nihil contra imperare tentantibus. Quæ res et si non mediocriter autoritatē Ximenio auxit, causa tamen implacabilis odiifuit, quod Ximenio mortem maturasse constantissime postea est creditum. Igitur Belgis Ximenii vires per id tempus extenuare cupientibus, de variis hominibus in Hispaniam cum potestate mittendis cœptum est agi. Nonnulli Maximilianum Imperatorem, alii Ludouicum comitem Palatinum, Carolo propinquitate coniunctum, multi Seluagium magnum Cancellarium, huic rei doneos & necessarios designabant. nec deerant qui etiam Ferdinandum puerum ei muneri præficiendum admonerent. At Maximilianus imperii & Italiæ rebus impeditus erat: Ferdinandus vero non modo propter ætatem, sed ob fraterni gradus cognitionem parum commodus esse iudicabatur. Nam à Ximenio alias scriptum meminerant. Ferdinandi custodiam non esse negligendam: cuius prætextu reguli: si res nouæ cordi essent, magnos tumultus excitare possent. Nonnullis placebat, vt Palatinus quasi custos Ferdinandi pueritiae daretur, legati potestate in Hispaniam veniret. Sed cōplures in Seluagium inclinabant. Hæc cum essent Ximenio nuntiata, ne vllum sibi socium mittant, qui cum sit perpetuo rixandum, per literas grauissimis rationibus plenas, continuo egit. Quod si aliud animo sederet, de successore mittendo cogitarent, quem moderandæ Hispaniæ præficerent: se enim in diœcesim suam concessurum. Palatinum Ferdinando custodem venire sibi non displicere, saepe enim cogitasse de magistris eius amouendis, totaq; adeo familia immutanda. Se quidem hactenus pro regiæ maiestatis obseruantia, & quam reip. debebat caritate, in ea moderanda & regenda integritatem omnem præstigiæ: nunc autem cum propter regis ætatem, & quorundam auaritiam, magis ac magis conatus suos & voluntatem impediri videret, vereri se ne magna aliqua calamitas ex popularibus seditionibus aliud agentes opprimat. Quare Toletum se recipere decreuisse: vnde velut e portu fœdam tempestatem iam imminentem, & aliena pericula spectare posset. Hæc autem mala vitari vnicæ posse ratione, si rege aduentum in Hispaniam differente, omnia munera, quæ ad iustitiam conseruandam pertinerent, sine villa exceptione sibi vni prouida concederentur. Sic enim futurum esse, vt iudices tribunalium regiorum, & eorū præfides capitales regii comitatus quatuorviri, & vrbium præfecti, census etiam regii procuratores, ex quorum fide & integritate regiæ potentiaæ nerui omnino penderent, militaria item præsidia, eorumque duces & limitaneæ præfecturæ, arcanorum negotiorum & secretioris consilii comites, neque ad Belgarum quenquam, neque ad ipsum quidem Carolum donec adolesceret, sed ad se vnum pertinerent. Præfecturæ vero militarium ordinum, & Episcoporum designationes, regiæq; liberalitates & largitiones, Caroli arbitrio relinquerentur. Nam se id vnum curaturum, vt reip. dignitas non imminuatur, & vt regius census terrori hostibus sit, & ius suum vnicuiq; tribuatur. Quæ omnia laboris & solitudinis sunt plena, & Belgis propter rerum nostrarum inscitiam, & Carolo etiam propter ætatem, minus conuenirent. Belgæ tam libero, aut potius audaci, vt illis videbatur, Ximenii sermone conterriti, hominis integritatem & potentiam considerantes, qui vnu inter Hispanos si qui motus orirentur reprimere poterat, dissimulato quem ex eius dictis conceperant dolore (aditum enim ad remp. illo viuente interclusum sibi videbant) nihil amplius de alio legato mittendo consultarunt, sed de Carolo diutius detinendo, & Ximenio qua possint arte placando: sic enim vellet nolle, argento Hispania exhaustienda erat. Quod si Carolus tandem venire cogeretur, de Ximenio tollendo deliberasse, perulgatum fuit. Parum callido & prudenti consilio hæc tam aperte ad Belgas scripsisse Ximenius creditur. Nam certum erat, homines externos, & Hispaniæ pecuniaæ percupidos, neminem apud regem esse toleraturos, qui se tanta animi constantia, autoritate & potentia illorum cupiditatibus opponeret. Igitur Belgæ tempori seruientes, Ximenii sententiam impense collaudare: omnem concordiam & consensum polliceri: hortari etiam vt cuncta suo arbitratu regeret: quem solum reipub. salutarem esse aiebant. Carolum nauigationem maturaturum: idcirco daret operam vt populi tantisper conquiescerent, donec ille rebus Belgicis compositis, & idoneam tempestatem nactus, se oceano committeret: ipse classem instructam primo quoque tempore mitteret, ne quid optatam profectionem moraretur. Gratias illis Ximenius egit, & ex mutua concordia beatissimum reipublicæ statum proculdubio futurum affirmat: vt ex eius epistolis satis constat. Maximilianus Imperator quo inconsulto nihil tunc per Belgas agebatur, nepotis dignitati consulens, & nauigandi dilationem ægre ferens, Bruxellas venit: & Viluordiæ proximo Bruxellis oppido mora aliquot dierum facta, crebra variis de rebus cum Carolo colloquia habuit: sed potissimum vt Martyr scribit, de aduentu in Hispaniam maturando. Nam principum res, vt ingentes & exccl-

& exelzas, ita fortunæ ludibrio magis esse expositas: proinde occasionem continuo arriperet, ne locum Hispanis cogitandi daret de reipublicæ statu mutando: nam populos iam tumultuari intellexisse se aiebat: quos perbelle pullo equino sapientes comparasse audiuerat, qui oestro stimulante, hos & illos calcibus impedit, neque ab equa parente temperat. Ximenius cui iam omnia quæ apud Belgas fiebant suspecta erant, existimans Maximilianum in ea quoque sententia esse, ut Carolus quem successorem imperio Romano destinabat, profectonem in Hispaniam differret: aut fortasse colloquia illa haberi, ut consiliis communicatis, tandem Maximilianus in Hispaniam gubernator veniret: Chebrium ea colloquia vitanda esse grauissimis rationibus admonuit, exemplis etiam in medium adductis de cōgref-  
sibus magnorum principum fugiendis. Porro Hispaniæ populi dum vanis promissis de regis aduentu se deludi vident, ad coitiones faciendas redierunt. Neque enim iam dissimilatis technis, sed palam officia & magistratus apud aulicos Belgas venire vociferabantur. Item amplissimam pecuniam summa diligentia à Ximenio confectam, quam ut ad regis aduentum necessariam postulauerant, ad Carolum demum traiectam fuisse, sed in alios usus insumi affirmabant. Porro Seluagium, & Chebrium per Zuquetum iurisperitum, & per quendam supremi Senatus duodecimuirum, regni præfecturas, supremi Senatus cooptationes, cubiculi intimi ministeria & munera, ita imprudenter & palam licitasse, ut horum officiorum possessoribus, quæ quondam nobilitati ob merita, & antiqua in reges nostros obsequia offerebantur, turpissimam conditionem de pecunia paciscenda obtulerint, qua numerata nihil de officiis auferendis esse timendum. His artibus innumerabilem pecuniæ vim per Seluagium & Chebrium coactam fuisse, vulgo serebatur. Idcirco Burgenses Legionensibus & Pintianis conuocatis, totaque adeo Campensi regione, de Belgarum cupiditate, & insolentia cōercenda consilia ceperunt. Quibusdam rex hortandus videbatur ut in Hispaniam illico veniret, aut si id minus facere eo tempore posset, Belgas omnes & cubiculo moueret, quorum artibus, corruptelæ quas diximus exercebantur: & homines Hispanos quorum probitas perspecta esset, pro illis substitueret. Alii difficile id & graue existimantes, & metuentes ne eadem cum Belgis labo nostri etiam inficerentur, publico populorum decreto statuendum esse arbitrabantur, ne regi vlo pacto liceret, magistratum, præfecturam, sacerdotium, cuiustis denique generis officium aut munus, externo homini concedere: & ne crebræ illæ pecuniarum traiectiones, quæ ferme in singulos menses fiebant, vllam deinceps ob causam exercerentur. Item ne consueta & stata vestigalia, quæ ad domesticos regis usus necessaria esse iudicabantur, Ximenius inconsultis ciuitatibus mitteret: aliaque id genus permulta. quæ quamuis ex reipublicæ commodis eo tempore esse videbantur, tamen regiæ autoritati officiebant: & fenestra quædam formidabilis aperiebatur, qua caput populi sensim ostentantes, paulo post omnia pudoris repugna es-  
sent fronte obfirmata perfracturi: quod non sine miserabili & ingenti reipublicæ damno, nondum toto triennio elapso post Ximenii mortem, fecisse nouimus. Multum in re maximi momenti inter ciuitates variatum fuit. Burgenses ut ad viuum omnia resecarentur contendebant. Pintiani & Zamorani si nonnulla in melius mutarentur, contenti erant, & pleraque Ximenii arbitrio permittebant. Postquam de rebus emendandis conuenit, plebiscita quædam iureiurando confirmarunt, interueniente Petro Castella, vrbis Burgensis præfecto. Sed Federicus Zamoranus, qui in præfectura Legionensi Aioræ successit, multo præstantius se gessit, ut Ximenius in epistolis testatur. Nam illius vrbis decurionibus flagitantibus, ut plebiscitis sese iureiurando obstringeret, animose restitit, & peruicit. Legatos deinde ad Ximenium & Senatum regium miserunt; qui apud eos causam reipub. diuexatae agerent, & eorum sententiam & propositum, ni rex quamprimum veniret, declararent: & simul ab eis peterent aliquem in locum conueniendi protestatem, vbi singularium vrbium legati de reipub. necessitatibus tractarent. Iusta esse populorum vota, & Ximenius & Senatus agnoscunt: videbatur enim reipub. vastitas imminere, nœa omnia quæ illi decreuerant, rege aduentum differente, efficerentur: tamen motus populares verebantur. Et quanquam aperte repugnare iustis postulatis non sunt ausi, tamen ut conuentus tantisper different, donec de regis aduentu merito despatre possent, rogant: nam propediem adfuturum fama erat. Interea Ximenius & Senatus literas ad Carolum de hisce omnibus copiosas dederunt: quas quoniam grauissimæ, & pietatis in regem plenæ sunt, Latinas vt cunque facere visum fuit: Ximenius gubernator, & Senatus regius Carolo regi salutem. Pro antiqua & fideli obseruantia, quæ erga maiores, parentesque tuos, & nunc demum erga ipsum obnoxii sumus: ut fidos ministros, optimos ciues, & consiliarios incorruptos decet, tuis reipublicæque commodis,

ad quam suscipiendam, tot regni hæredibus paruo temporis interuallo extinctis Dei ntu vocatus es, necessario prospicere cogimur: teque ipsum continuo admonere ea, quæ reipublicæ conuenire visa sunt, ita enim nos culpa vacabimus, & crimen neglectæ reip. aut potius proditæ, liberi erimus. Magni principes, & suspiciendi reges, tandem à Deo potestatem, & ab hominibus reuerentiam consequi merentur, quandiu iusto & recto imperio populos eorum fidei cōmissos regunt. Id autē ab ipsis fieri, nullo maiori argumento intelligi potest, quam si ad tantam molem sustinendam, adiutores & socios quam spectatissimos & idoneos elegerint. Neque enim vnuis aliquis quantumlibet præclaris dotibus & virtutibus excelluerit, rebus tam diuersis obeundis par esse potest. Nam nihil aliud priscos illos centimanos esse existimamus, nisi reges consideratos & sapientes, qui per egregios & probos ministros, æque ac per seipso regna sibi commissa tuerentur. Sed fabulosa ista relinquamus, maiorum tuornim res gestas cateris exemplis prætermisssis, intueamur. Enricus tertius atauus tuus, qui propter assiduas in ætate florenti imbecillitates, valetudinarius cognominatus est, cum se viribus corporis destitutum, regio muneri imparem videret, prudentissimo consilio vsus, viros literis, & moribus, & religione præstantes ad se accersitos, magno semper in pretio habuit: eisque comitibus & consiliorum participibus adeo remp. pacatam & optime institutam tenuit, vt magno eius merito, successoribus optimi principis exemplum sit habitus. Contra Enrico quarto tuo maiori auunculo omnia dura & infausta contigerunt, quoniam eos rerū gerendarum suosores per summam socordiam apud se retinuit, qui nullo hominum pudore, nulla Dei immortalis reuerentia, 20 omnia sursū ac deorsum miscentes, grauissima mala reip. intulerunt. Sed quid in aliis commemorandis immoramus? an non aui tui catholici reges, satis magno documento esse possunt: quibus id vnum ante omnia curæ fuit, muniberis publicis viros egregios, quicunq; tandem ij essent, præficere. Vnde propriis ministris, & aulæ familiaribus prætermisssis, qui suo veluti iure hæc importune solent extorquere, ignotos homines, nec sibi vñquam visos, quod essent meritis suis commendati, & publica opinione celebres, præter omnium expectationem ad res magnas vocarunt. Nemo illis regnantibus ambitus est conuictus nemo lege Iulia de repetundis condemnatus: quod proh dolor, miserrimo hoc tempore frequens esse, magnopere dolemus. Fuit etiam illorum regum hoc præclarum institutum raro cuiquam summa concedere, nisi per inferiores gradus deuolutus, specimen suæ probitatis & virtutis exhibuisset: vt pro cuiusque facultate & ingenio, hæc aut illa munera deferrentur. Qua nimur ratione factum est, vt omnia suis numeris quadrantia, concentrum quendam in rep. constituerent, qualem nunquam ad id tempus videramus. His igitur artibus & consiliis, vt de cæteris taceamus, remp. aliorum principum negligentia collapsam, & sicariis hominibus, atq; tyrannicis violentiis vehementer afflictam suscipientes tibi hisce difficultatibus liberam, tradiderunt. Proinde cum Deus opt. max. sub cuius tutela reges estis, id tibi ingenium & iudicium dederit, eam prudentiam in iuuenilibus annis largitus sit, ijs denique singularibus virtutibus maiestatem tuam exornauerit, quales homini principi necessariae sunt, æquum est vt quæ diximus animaduertas, & quantum ponderis habeant consideres. Inuenies enim grauissimam cladem, & ingentem perniciem, si 40 hæc contemseris reipub. imminere: contra si hæc egeris, maximam quandam felicitatem pronitti. Res vniuersæ à principiis suis pendent, & errores in principio solent minimo labore emendari, vt facile in viam rectam redire possimus. Sero remedium parari à sapientibus dicitur, dum mala vires diutinas sumserunt. Quare tuis pedibus Hispania vniuersa supplex protioluta, vt eius commodis prospicias, vt hominum corruptorum cupiditates reprimas, vt gliscentia vitia cohibeas, vt tuorum regnorum tranquillitati consulas, te votis omnibus & precibus orat & obtestatur. Id autem facile fiet, si Hispaniam amplissimam & nobilissimam regionem, suorumq; principum obsequio deuotissimam, secundum leges patrias & antiqua maiorum instituta gubernari, & viuere concesseris, Vale. Carolus literis senatus receptis, vt erat mira prædictus indole, quanquam duodeuigesimum annum agebat, animaduertit sibi fideliter ab Hispanis consuli. Sed Belgæ inter quos ab infantia ad id ætatis vixerat, facile in suam sententiam pertraxerunt. Nam egregie dissimulantes, & discessum pro virili protrahentes, solitas artes tanta impudentia, non solum in Belgio, sed in Hispania etiam post Caroli aduentum palam exercuerunt, vt Seluagius magnus Cancellerius intra quadrimestre tantummodo spatium plusquam quingenta aureorum millia in Belgium miserit. Quod si Chebrii, & aliorum compilationes ad calculum reuocarentur, infinita pœuniarū vis asportata ex Hispania inueniretur. Huiusmodi rapinas causam seditionib. popularib. postea dedisse, quæ post Caroli ad Belgas redditū fecutæ sunt, proculdubio cōstat: sapienter. n. ab antiquis legū latorib. dictū est, post munerū publicorū vēditiones, illico bella intestina,

intestina, & tumultus exorti. Igitur populi cum nihil certi de Caroli aduentu audirent, & magis Hispaniam in dies exhaustiri, ad propositum suum consciendum redeunt. Ximenii & senatus fidem implorant conuentus faciendi facultatem petunt, quibus tantummodo de rege accersendo, de legū nostrarum authoritate conseruanda, de Belgarum aulicorum avaritia, de petitionibus officiorum per summum ambitum, reprimendis ageretur. Alioqui si ipsi quoque in hoc dissimularent, se pro debita in remp. & regiam maiestatem caritate & obseruantia, non expectato senatus iussu legatos super eare misluros, & ne quid respub. detrimenti caperet curaturos. Non potuit Ximenius huiusmodi ciuitatum petitionibus contradicere. Itaque in mensē Septembrem conuentus populares indicti sunt, eosque ad anni extremum consulto reiecit, quod interea Carolum venturum esse crederet. Ea concessionē mirum in modum ciuitates recreatae, libenter, quanuis id sub Ianuarium agebatur, in autumnum usque quieuerunt. Ab eo die frequentes nuncios, & cebros literarum fasciculos, Ximenius ad Carolum, & ad aulicos Belgas mittere: aduentum in Hispaniam properarent admonere: non esse negligendum quod ciuitates tentabat clamitare: nulla enim re magis populos insolescere, & reverentia omnem exhibere, quam cum libertatem loquendi natū sunt, & pro libidine, suas vulgo iactant querimontias: quas iustissimas esse facile perditis hominibus quorum magna est copia, persuadent: qui eo magistri mendi videbantur, quod non sine fauore quorundam regulorum ad id agitandum sunt concitati. Quod si nauigatio in Hispaniam protrahenda erat, consultum fore videbatur ut conuentus populares eo in oppido haberentur, vbi ipse & regius senatus aderant. Sice enim futurum, ut praesentia potentiae regiae cohibiti, minus essent arrogantes, & magis seditionis vocibus parcerent. His demum atque aliis adhortationibus Ximenius apud Carolum effecit, ut sub extremum eius anni autumnum, classe quam ipse instruētissimam misit, cū Belgis aulicis in Hispaniam traicerit. Varia interim de Ximenii voluntate apud Carolum & in Hispania ab eius æmulis iactabantur. Nonnulli ob id motus populorum sedulo ab eo comprimi aiebant, quod imperii splendore, & regnandi cupiditate captus, omnem occasionem studiose tolleret, quæ Carolum cogere posset, ut in Hispaniam citius quam decreuerat veniret. Hanc enim ob causam pecuniam tam ingentem ad Belgas mittere assuerabant, ne eius desiderio nauigationem maturaret. Quamobrem cum Chebrio coniurasse affirmabant, & ab vtroq; scenæ inseruiri. Nec defuerunt qui famosis libellis Ximenium, Chebrium, & Franciscum Ruizum, totius veluti fabulæ Dauum. scommatibus & conuiciis proscinderent. Alii vero popularem esse Ximenium aiebant, in inuidiam nobilitatis, cui iam diu infensus erat. Sed afflictas huiusmodi calumnias semper neglexit: planum enim apud Carolum fecerat, quo neruos & conatus suos intenderet. Quare se conuentibus popularibus præfuturum, aperte in epistolis profitetur. Quod si secus tali tempore & occasione faceret, quid aliud esset, quam domesticis prædonibus diripiendam rem publicam deserere? De libellis vero vulgo editis, in gratiam quidem Belgarum, quorum animi acriter erant commoti, inquiri iussit, sed non admodum diligenter. Viri enim fortis, suæ virtutis & præstantiae consciæ, contemnere solent huiusmodi latratus canum minutorum: & id solatium inferioribus relinquunt, qui dicti dolorem vlciscuntur. Alphonsus Castella Madriti præfectus, famosa illa carmina ad Adrianum & Laxaum detulerat: qui dentatis illis dictis minus assueti, indignissime tulerunt se vulgo deridendos propinari. Quocirca minus admirationis habet, si Adrianus postea Pontifex maximus factus, Pasquini & Marphodii statuas, vbi famosi & ridiculi libelli in vrbe affigebantur, in Tyberim proiecte studiose curauerit. Cui Suessanus Caroli legatus peropportuno sermone dixisse fertur: Si in flumen proicerentur, rahas illiusmodi mala carmina esse cantaturas. Quo dicto sic pontificis conatus repressit, ut amplius ea de reactum non sit. Toletum per hæc tempora Ximenius venit: nam de Caroli aduentu iam certus, ad Campensem prouinciam cum regio senatu transire constuerat. Quare eam vrbe, quæ suæ diœcesis caput est, priusquam discederet, inuisere decreuit: tum ut rebus sacris consulteret, & cœnobiorum muliebrium ædificia, quæ tam Toleti, quam Illescis eius impensa surgebant, præsens videret. Adrianus itineri comitem se dedit: quem in Ximenii inuidiam, Syluanorum factio frequens est secuta: tum quod in Aialam Ximenius inclinare videbatur, tum etiam in Albani ducis gratiam, qui cum ingens similitas Ximenio erat. Burgensis ciuitas de foedate ad conuentus populares ineundo, Toletum sub id tempus legatos forte miserat. At Toletani Portocarrero auctore, cui vulpes cognomen fuit, contentionis antiquæ cum Burgensisibus memores, de primo suffragio in conuentibus habendo, in eo foedare esse recusantes, indictis conuentibus renunciaverunt. Quod Portocarrerus cum ad Ximenium detulisset, veluti eius sententiam quam sequi se velle simulabat, cognitus: ille hominis callidi-

tate perspecta, priuata sunt hæc (inquit) ciuitatum negotia, de quibus nihil à me diffiniri nunc debet. Ita ille delusus abit, & Ximenius autoritatem suam retinuit. Non minorem curam in sacerdotum turbis sedandis adhibuit, quæ sub id tempus etiā sunt exortæ, Leone x. Pontif. Max. ex Lateranensi concilii authoritate, fructuum sacrorum decumam à sacerdotibus vniuersis exigente. Ea autem prætextu defendendæ Christianæ reipublicæ à Pontif. Maxim. petebatur. Nam cum Selimus Turcarum princeps Ægyptio rege (quem Sultanum vocant) deuicto, & per summam ignominiam vita priuato, potentiam suam aduersus Italiam conuersurus crederetur, Pontifex maximus oram maritimam tueri cupiens & omnem aditum pro virili hostibus intercludere, vltima Concilii Laterenensis rogatione, ad sacerdotiorum decumam triennio cogendam, de patrum congregatorum sententia egit. Vehementer à nonnullis reclamatum est, quibus durum esse videbatur sacerdotia huiusmodi exactionibus grauari, contra aliorum conciliorum decreta & pontificum sanctiones: præsertim regibus Christianis, quorum id officium erat nec delectus militum nec classium apparatus ad eam rem facientibus. At Pontifex maximus eam tunc necessitatem imminere, quæ in concilio Constantiensi, sub Marino quinto prænotata erat, contendebat. Quæ enim maior causa vrgere poterat, quam publico Christiani nominis hoste Italiam & Romam urbem inuadere parante Aragonii sacerdotes, quibus & Cæsar augustanus antistes Aragoniæ prorex, & libertas qua iure illius regni omnes fruuntur, animos faciebat, Prouincialibus synodis conuocatis, de non pendenda Pontifici max. decima cegerunt. Sed quoniam id Ximenii autoritate facere, cuius summa apud Pontif. max. existimatio esset, plurimum inteterat, Cæsar augustanus & cæteri Aragonii antistites, literas ad Ximenium miserunt, quibus vt sacerdotum patrocinium suscipiat deprecantur, neque patiatur, vt se tantum autoritatis & potentiae habente, quantum nemini haec tenus contigisse meminerant, sacerdotum immunitas tam magnum detrimentum caperet. Ximenius qui in Castellana prouincia id ne fieret cauerat, perhumaniter & benigne responderet, & omnem operam pollicetur ad ecclesiasticam libertatem conseruandam. Sed interea vt conuentus dissoluant monet, & rerum euentum quieti expectent: se enim cum Pontif. max. & rege Carolo ea de re diligenter acturum: & sperare, secundum sacerdotum vota negotia esse exitura. Igitur Carolum primum commonendum esse duxit: ad quem in ea sententia se esse scripsit, vt quoniam Aragonii sacerdotes coactis per antistites suos synodis principium resistendi dederant, nostri quoque suos pariter conuentus facerent, vbi veræ causæ huiusmodi exactionum tractarentur: an hæc quæ Pontif. Max. allegabatur, talis es-<sup>20</sup> set excuteretur: dummodo Hispanorum regum exemplo, non alibi quam in regia curia sacerdotes conuenirent, ad hasce controuersias terminandas. Ad Arteagam vero suum Romæ procuratorem scripsit, vt Pontif. Max. reuerenter adeat, & Ximenii nomine non solum decimas suæ dicensis offerat, sed totos etiam fructus, & omnem ecclesiasticam supelleatilem, & quicquid auri & argentifacti. aut infecti, in thesauris sacerdotum, aut templorum sacrariis esset repositum: sed summopere oret, vt eius sententiam de belli sacri apparatu diserte aperiat. Nam nisi iustissima de causa, nunquam se auctorem futurum, vt Hispani sacerdotes, quos iam fere tumultuantes pacauerat, vectigales fierent. lubet etiam procuratori, vt diligenter inquirat, quid de huiusmodi decimis imponendis concilium Lateranense decreuisset. Ea cum ad Pontif. Max. Arteaga retulisset, Laurentius Putius & Iulius Medices cardinales, Pontif. Max. cum primis intimi, ad hunc modum Arteagæ respondent: Nullam sacerdotibus decumam, ex concilii authoritate, aut alio quoquis modo Pontificem maximum haec tenus imposuisse, neque impositurum quidem, nisi ad extreum, cum res ipsæ opem non solum poscent, sed flagitabunt, iuxta synodi Lateran. in vltima rogatione decretum. Culpam vero in Ioannem Ruffum Cusentinum episcopum, nuncium Apostolicum in Hispania, reiiciebant: qui parum prudenter hæc vulgasset. Quare sacerdotes Hispaniæ, quantum ad decimas præstandas, posse in utramque aurem dormire: & diploma pontificium procuratori ostensum est propediem edendum, vbi de Concilii Lateranen. actis tractabatur. Ximenius tamen post hæc ab Arteaga nuntiata, non cessauit à sacerdotum conuocatione: quos omnes Madritum paulo ante quam Arandam discederet, conuenisse certum est. Nam Petrus Martyr, qui Granatensis ecclesiæ procurator huic conuentui interfuit, vt ex eius epistolis constat, de neganda exactione cunctorum sententiis approbatum esse refert. Quorum propositum Ximenius collaudauit, & se patronum, & vindicem, si opus foret, pollicitus est. Ex epistolis nomine Leonis à Bemdo editis satis constat, nō tantum rumoribus, sed re ipsa decimam illam exactam fuisse, sed tantum in Italia, aut ditione pontificia, ni fallor. Tres potissimum Hispani principes, priuatas ob causas Ximenio infensi, pene rempublicam obruiuissent, Mendozus Infantatus

dux,

dux, Fadricus Albanus, Gironius Vrennatum comes, quibuscum uno & eodem tempore contendendum Ximenio fuit. Mendozii animus non tam ob irritas Ioannæ cum nepote nuptias exacerbatus est, quam quod ex affinitate inter Ximenium & Cluniensem cōtracta, Velennæ municipii litem sibi ancipitem futuram videbat, reipublicæ moderationem Ximenio testente. Est in Carpetanorum finibus, non longe à Guadalfajara Velenna oppidum. id Ioannes Mēdozii frater possidebat, quo cum iam olim Cluniensis iure egerat, & tandem certis quibusdam conditionibus Ioannes Velennam Cluniensi vendidit. Mendozus vero auitam hæreditatem, & suis præsertim oppidis cōterminam, dolebat alterius potestati cedere: Cluniensem in ius vocat, quod Didaci cui testamēto, qui eam legitimam portionem Io-  
 10 anni filio legauerat, cautum esset, vt si de ea vendenda ageret, Mendozii ducatus haeres eam sibi posset afferere, eodem pretio emptori oblata. Hæc controuersia in complures annos fuit protracta. Ximenius, qui causas in immensum trahi conqueri solebat, cupiebat lites omnes finire, quæ apud regia tribunalia agebantur. Sed reguli id præsentientes, summopere curarunt, vt lites ampliarentur, donec Carolus in Hispaniam venisset. Ipse vero, ne callidis tergiuersationibus eius propositum eluderent, vt de eis omnibus primo quoque tempore cognosceretur, impetrat Baracaldo ad Belgum missus, qui id diligenter curauit. Sed quoniam post mortem Ferdinandi catholici, tabulas ad Velennatum litem ampliandam Mendozus à Carolo Belgis curantibus obtinuerat, acta rescindi perinquo animo ferebat. Quare regii Senatus, & Adriani Laxaque legatorum auxilium aduersus Ximenii potētiam im-  
 20 plorat, vt ea facultate Ximenius priuaretur. Pintiani tribunalis iudices, apud quos causa Velennatum disceptabatur, Ximenii de his litibus finiendis facultatem ad Velennatum litem non pertinere aiebant, quæ Caroli cognitioni seruari iussa fuerat. Sed Ximenii in re iusta indignationem veriti, eius cognitioni reliquerunt, an in tabulis ad eum missis Velennatum causa excepta esset. Ximenius hoc ad regium senatum reiecit: vbi quamvis Rogius Granatenis antistes, senatus regii præses, parum æquus Ximenio esset, & qui tamen ratione habita, secundum Ximenii voluntatem pronuntiatum fuit. Mendozus qui superari à vicino Cluniensi ferre non poterat, iterum ad Belgas solicitandos se conuertit: & tabulas secundas obtinuit, de Velennatum lite comperendinanda. Hoc Ximenii animum alioqui constanter, haud mediocriter commouit. Nam is erat mandatis tenor, vt Pintiani iudices à Velennatum causa abstinere iuberentur. Quod si Cluniensis aliquid opponeret ante impetratum, aduersus præsens diploma, omnino vt reiicerent imperabatur, vt in notis arcanis reperi. Rem factam se habere Mendozus credidit: & Ferdinandum Guterium Altamiranum eius familiarem, & publicum notarium, ad Ximenium misit, qui illi regis mandata denuntiarent. Timebant hi, ne Ximenius offenderetur, & aliquid illis quod nollent accideret. Sed post longam trepidationem & deliberationem, tandem regis interdictum de causa Velennatum differenda Ximenio denuntiatum est. Tandem tabulae prudenter inter nos tristissimata indignatione, rursus ad Catolum & Belgas scribit, indignissime secum actum esse, & diploma iniquissimum esse datum contra alteram partem. Deinde contra publicam quietem esse, velle hominem potentissimum nouis oppidis augere. Nam  
 30 quod de tumultibus Ximenio gubernante exorituris vulgo iactatum erat, vanissimum multis argumentis planum facere poterat. Quod si iudices, & præsidem Pintiani conuentus ipsi consulerent, nihil ex hac parte imminere periculi probe cognoscerent. In memoriam etiam reuocabat, quid rex Ferdinandus egisset, quem similibus officiis qualibus Carolum haud demerqisset, post Isabellæ Aragoniæ, Enicij Fortunæ filiæ, cum Inacho Mendozio domus hærede nuptias. Nam quamvis multum Mendozus apud regem laboraret, nunquam obtinere potuit, quin libero in foro ius suum singuli ex quo prosequerentur. Atque ita Ferdinando viuente, apud quem Mendozus multū fauore & gratia poterat, sententiam secundum Cluniensem laram fuisse. Addebat etiam, vereri se ne ob iustitiae inæqualem distributionem, turbæ excitarentur. Nam contumeliam & iniuriam passi, desperatione  
 40 quadam ad arma venire solere. Impetravit quod voluit Ximenius: & tandem Mendozio indignante, Velenna Cluniensi adiudicata est. Accidit paulo post, vt Complutensis Ximenii vicarius suum fiscalem ( sic enim publicum accusatorem vocant ) Guadalfajaram mitteret, publici criminis vindicandi gratia. Mendozus occasionem arripiens in Ximenium aliquid designandi, quo exulceratum animum leniret, fiscalem multis fustibus male mutantem iussit: quasi in fraudem iurisdictionis Bernardini fratri, Guadalfajara archidiaconi, fecisset, ad quem illus modi cognitiones pertinerent: suspenditum etiam minatus, si quid tale posthac auderet, Complutum dimisit. Id cum statim ad Ximenium, qui Madriti aderat, delatum esset: minime esse dissimulandum ratus, vindicationem in Mendozium non tam quidem re ipsa parabat, quam sermonibus

circumferri permittebat: se tam ob violatam religionem, quam ob reipub. tranquillitatem læsam, sic in Mendozium processurum minabatur, vt vel principatu spoliaret, vel imperatas pœnas ex iure subire cogeret. Huiusmodi rumores iactari Mendozius durissime accipiebat: quare iræ & doloris impatiens, Petrum quendam presbyterum, qui catholici regis cantor fuerat, & in Mendozii familia tunc erat, cum mandatis conuicio & contumelia plenis, ad Ximenium Complutum, quo forte venerat, misit. Is venia impetrata, & genibus aduolutus, vt sibi liceret mandata exponere, obtinuit. Ea nihil aliud continebant, quam ex probationem pristinæ fortunæ, & humilis conditionis, minasq; arrogantiæ plenas. Nam & dignitate & publicis muneribus se illum perturbaturum propediem promittebat. Constanti vultu Ximenius, sine vlla indignantis aut commoti animi significatione contumeliosam legationem audiuit, & an quid supereffet dicendum, rogat. Et cum ille negasset, redito (inquit) ad tuum herum, quem iam suæ improbabæ & ineptæ legationis pœnitentem inuenies. Sic res habuit: nam Mendozius iam cum familiaribus suis expostulabat Petru adueniente, quod se iratum non placassent. Petrum etiam obiurgavit, quod sibi irato paruisse. Igitur cum Mendozii legatio diuulgata per Hispaniam esset, Velascus comestabilis, qui Ximenii indignationem iusta ratione conceptam implacabilem esse existimabat, Guadalfaiaram ad Mendozium venit: & quanuis eius bilem & animum facile irritabilem prudenter repressit, maiorem tamē culpæ partem in asperos & subagrestes Ximenii mores reiecit. Suadebat tamen vt tempori cedens, cum Ximenio in gratiam rediret: quod vt fieret, se apud Ximenium omnem operam daturum, promittit. Velasci ergo dexteritate factum est, vt Ximenius omnem se similitatem positurum diceret si facti Mendozium pœniteret, & pœnas quas merebatur, ob sacrum ministrum violatum, deprecatur. Missus est cum mandatis Friasius Ximenii familiaris ad Mendozium: & conuenit, vt certo quodam die ad fontem Carralium, vicum octo millibus passuum à Madrito distantem, Ximenius, Velascus & Mendozius pranderent, & de amicitia sarcenda agerent. Die condicto, Ximenius Francisco Ruizio episcopo Abulensi, Villaroello Castorla præfecto, Cisnerio & Friasio, paucisq; aliis comitantibus, Fontem Carralium venit, nullis senatoribus aut proceribus, qui in curia agebant, consciis. Antecessit aliquot horas conuiuas Ximenius: & cum meridiem instare cognouisset, non expectatis conuiuus pransus est. Vix mensæ remotæ erant, quando Velascus & Mendozius, sine vllis omnino comitibus, & vno tantum à pedibus ministro, aduenire Ximenio hunciantur, qui iam etiam pransi erant. Vix mutuis salutationibus habitis, Mendozium nondum animo ad æquitatem composito, paulo altiori sermone, ita fari ccepisse aiunt: Dum ego pie religionem coluero, regique meo fideliter obediero parum quid cæteri fremant curio. Ximenius quod principium dedisset considerans, suæ personæ seruiens, ego (inquit) is sum Mendozii, qui vel te religionis reum inquisitor maximus plectere, vel regiis mandatis parum obsequenter, regis vicarius obtemperare possim cogere. Velascus Mendozio acriter increpato rursus animum Ximenii leniuit: qui à principio omnes causas dissidiorum repetens, singulis ex ordine abunde satisfecit, tam de nuptiis Petri Gonsalui cum Ioanna Cisneria, quam de Velennatum cum Cluniensi lite: obiter etiam conquerens de inciuli Petri presbyterilegatione, cum ipse nihil vñquam dixerit, aut fecerit, quod Mendoziam familiam offenseret, quam ante alias semper coluisse. Meminisse etiam deberet, non ita pridem inter medias discordias, postquam se conuiciis immeritis fuisse consestatu, & post suum fiscalem pulsatum, Bernardino fratre archidiacono Gualdalfaiarense vita functo, se Martino filio, cum nihil tale pater expectaret, multis admirantibus, nec paucioribus fortasse ægre ferentibus, archidiaconatum insperato contulisse: quod non tam exprobrandi causa se dixisse, quam cōmonendi putaret. Hæc atque alia prudenter & grauite à Ximenio dicta sic animum Mendozii pupugerunt, vt sella assurgens, ad Ximenium vt sibi ignosceret postulaturus iret. Animaduertit hoc Ximenius, & festinarem præuenit: complexusq; amice. Ego (inquit) nite amarem, & magni facerem, nec quæ dixi in tuam gratiam feci sem, nec meam Academiam tuæ fidei & protectioni commendassem. Dum hæc inter se agunt, sclopitarum strepitus audiri sunt cœpti, & hospitium vbi meridiebantur, plusquā ducentis leuis armaturæ hominibus erat obsecsum. Nam Ioannes Spinosa cohortis Prætorianæ præfetus, indignum esse censens, Hispaniæ proregem priuati habitu cum hominibus parum benevolosis colloquia miscere, Fontem Carralium comitantibus prætotianis militibus, mature venerat. Non nihil reguli commoueri visi sunt, contra pacta conuentu agi putantes. Sed plena humanitatis Ximenii oratio animos eorum confirmauit: & nimia Spinosa sedulitate reprehensa, qui se nihil tale iubente ad eum vicum importunus aduenisset, regulis perbenigne salutatis Madritum reuersus est. Hunc finem habuerunt Mendozii

dozii discordiae: sed maiorem tumultum & strepitū Gironius Vrennatū princeps in républicam induxit. Magno & excuso animo Gironium præditum fuisse, multa eius dicta & facta demonstrant, quæ adhuc in hominum memoria seruantur: aderat quidem acumen & iudicium sed nimis liberum & audax. Commandantur quædam eius dicta, Laconica breuitate tornata, sed plenaque sale nigro adpersa. Hic igitur simulatque regis catholici mors vulgata fuit, primus Ximenii æmulus, Petro filio Assydonensem ditio-  
nem (ut supra diximus) inuadendi auxilium tulit, quem potius reprimere debuerat. Granatensis conuentus ministros, qui Vrsanem venerant, iustitiae exequendæ, & regiorum vectigaliū colligendorum causa, pugnis, fustibus, & vulneribus percussos, quanuis Xi-  
menii tabulas ostentantes & reipublicæ cautionem proferentes, violenter & furiose repulit. Literæ adhuc in Caruiali annalibus seruantur, quas regius Senatus ad Carolum misit de his omnibus copiose edocentes. Hæc Ximenius, Mendozii & Albani contentio-  
nibus implicitus, prudenti consilio dissimulauit: ne cum tribus potentissimis Hispaniæ regulis vno tempore esset concertandum. Sed occasio non defuit in eum animaduerten-  
di. Erat Ximenio (ut diximus) propositum, lites inter regulos, aliosque inferioris con-  
ditionis homines, in regiis conuentibus iamdiu agitatas, & in fraude legum protractas,  
finiri. Inter eas Gironii & Guterii Quixadæ controuersia fuit, de Villafratro in Campensi  
regione, non longe à Pintia oppido, quod tūc per vim Gironius obtinebat, non sine spe-  
ciosis aliquot prætextibus. Hæc causa in Pintiano conuentu ab vtroq; iamdiu litigabatur.  
20 Quixada rem vindicare, Gironio, quam semel abstulerat, retinere contendente. Eaigi-  
tur, & aliz permulta causæ finitæ fuérunt. Nam de iudicium Pintianorum sententia, op-  
pidum de quo agebatur, Quixadæ primo possessori restitutum est. Pintiani conuentus  
accensus, Ximenio iubente, oppidi possessionem regia autoritate Quixadæ datus,  
cum aliquot regiis ministris Villafratrum proficiscitur. Id cum Gironius resciuisset, sen-  
tentiam iniquam fuisse proclaimans, regios executores insolitis modis pulsatos & affectos;  
per Rodericum Gironium eius filium ab oppidi finibus, re in fecta audacissime repellit.  
Comites facinoris aliquot æquales Rodericus Gironius habuit, qui adolescentiæ inscitia  
suum negotium in tuendo Gironio agi arbitrabantur, putâ Bernardinum Velasci come-  
stabilis, Beltranum Cueuæ Alburquerpii, Ferdinandum Anrici Almirandi regulorum  
30 filios. Redierunt executores ad hunc modum violati Pintiam, recentia vulnera, & vul-  
tus vibicibus deformatos ostentantes. Id spectaculum cum omnibus regi nominis culto-  
ribus graue, tum vniuersæ reipublicæ triste accidit: qui nilex legum potestate, sed omnia  
per vim agi intuebantur. Didacus Ramirus Villascianus, Malacæ antistes, qui præses  
conuentus Pintiani erat, vir alioqui mitis & quietus, rei indignitate & atrocitate permo-  
tus, ex publicis militibus non ignobili coacta manu tubis classicum vndique incipientibus,  
regiam iniuriám, & reip. contumeliam vlturus, equo armatus Villafratrum proficisci pa-  
rabat. Velascus annis & prudentia maturior, periculū quod principibus iuuibus Vil-  
lafratrum tenentibus, ex læsa regis & reipub. maiestate, imminebat cernens, eo properat,  
& priusquam aciem Malacitanus educeret, sine vlo armorum strepitu, sine vila hostili  
40 incursione, Villafratro eos abire coegit: & Pintiani conuentus mandata rite, & è recip. mo-  
re confici iubet. Malacitanus àrmis depositis, & Velasco collaudato Pintiam reuertitur.  
Tunc tandem Pintiani senserunt, quantum esset in publicis militibus utilitatis, ad poten-  
tum hominum vires infringendas, qui tantopere eos institui prohibuerant. Postquam ad  
Ximenium hæc perlatâ sunt, Gironii insolentiam minime ferēdam, aut dissimulandâ esse  
censens, criminosis libellis, & capitali accusatione, aduersus regiæ Maiestatis violatores a-  
gere iubet. Sarmentum quatuoruirum ad Villafratrum flammis & ferro diruendum, cum  
armatis militibus mittit. Iuuenes qui Velasci dictis parentes, Villafratro opportune exie-  
rant, postquam eortim facinus in crimen vocari, & de læsa maiestate causam esse dicturos  
cognoverunt, Gironio sese eos aduersus Ximenium (ut aiunt) instigante, ex Villapando,  
50 quod Velasci ditionis est, præsidio militari accepto, Villafratrum rursus redierunt Quixa-  
dam deiecturi, & quamvis Ximenius omnia atrocia minaretur, eo inuito ibidem mansuri:  
Res dutissimo in statu versabatur: nec deerant qui Ximenium culpabant, quod post Ve-  
lasci officiosum factum ultra quicquam tentasset, Albano præsertim, & Mendozio paratis;  
ad omnes aduersus eum motus fouendos & captandos. At ille, qui se longe paratiorem  
sentiebat, ad regulos si quid molirentur, in officio continendos, nihilo segnus pro-  
pterea se gessit: proscriptionibus, & publicis præconum vocibus, legum contemptores, &  
regiæ maiestatis rei, Pintiæ & Madriti publicati sunt: libelli in celeberrimis locis propositi;  
& proditores proclamati, ni continuo Villafratro cederent, & ad regium senatum causam  
læsa maiestatis acturi se sisterent. Dicitur non potest quam grauia eortim parentibus & co-

BBBBB

gnatis, hæc omnia acciderint. Quocirca, tanquam in communi periculo, plerosque regulos cohortati sunt, vt in vnum locum conuenirent, de re tanta deliberatur. Interea Velascus & Anricus Pintæ commorantes, Malacitano in omnibus aderant, & quanuis in perniciem filiorū ea omnia fieri viderent, ne quid eius mali in ipsis recideret, regiis executoribus, quoties opus esset, præsto se futuros esse promittebant. Locum ad conueniendum nonnulli Tudellam Vacceorum, alii Portillum oppidum Aluari Lunæ custodia percelebre, vbi hæc cōtio facta est. Conuenisse autem dicuntur Pimentellus Beneuentanus, Velascus comestabilis, Fadricus Albanus, Cueua Alburquerius, & Mendozii quidam procurator. Sed Ximenii robur & naturam metuentes, post longam tandem altercationem, omnia pacifice agere decernunt: & ad eum primo, deinde ad Carolum supplices literas de his rebus mittunt. Cum Ximenio submissæ se gesserunt, veniam libris suis deprecantes: ad Carolum grauia omnia de difficultate Ximenii ingenio scripsere, qui Hispaniam turbis & tumultibus ob periculaciam repleret. At Gironius senatum regium se suspectum habere profitebatur, vt qui à regis catholici tempore, in Assyndonensis reguli partes quo cum sibi magni momenti lis erat, manifeste inclinasset, & litem suam fecisse luce clarius constaret. Ximenius per Malacitanum de his rebus certior factus, quid sibi essent obiecturi cogitans, ad Carolum cōtinuo scripsit, & pariter senatus regius, qui Villafratensem casum, inter alia exponebat, ne mendosæ aliorum narrationi rex fidem haberet. Extrema epistolæ particula hoc continebat: Guterræ Quixadæ cum Gironio controuersia, quam tua maiestas requirit, & in tuum aduentum differri iubes, sic habet vt diximus. Porro nobis nihil priuati odii aduersus Gironium esse, ex breui gestorum summa, quam ad te mittimus, liquido constabit. Certe nemini verisimile videri debet, omnes iudices qui in publicis Hispaniæ conuentibus sedent, in vnum Gironii caput cōiurasse: præsertim cum iudiciorum, quæ quotidie fiunt, integritas, tam in distrahendis controuersiis, quam in puniendis delictis, sit notissima. Quare si viri grauissimi & iuratissimi, quos in conuentibus iudices esse voluisti, Gironium insectantur, illius potius culpa cordati homines fieri credent, quam priuato iudicum odio, aut corruptela. Si Gironius impotenti & perdita audacia, cuncta confundit & perturbat, nos qui omni vigilâta & integritate à subditis tuis iniurias propulsamus, huic vt etiam aliis quietis publicæ interturbatoribus, & omnia pro libidine exercere cupientibus, necesse est vt odio pariter & terrori simus. Atque idcirco non solum apud tuam maiestatem, sed apud omnes mortales nos traducunt, omnia mala imprecantes, non alias ob res, quam quod illorum prauis consiliis obuiam imus. Quare pro debita nostra fidelitate maiestatem tuam monendam duximus, vt si saluam tuam tempub. optas, nulli diploma de controuersiis supersedendis, concedi permittas, quæ diu in iudiciis agitatæ, & omnibus numeris cumulatae sententiam iudicum manent: hoc enim semper in alterius partis damnum fit, & causam seditionis hominibus turbandi remp. præbet. Iube igitur, leges patrias seruari, quarum tu custos & vindex à Deo optim. max. es datus. Dum hæc ad Carolum perferuntur, reguli non cessabant capita conferre, & mutuo sibi animos addere ad Ximenium deturbandum. Cuncti proceres præter Aquilarium & Asturiensem ex ultramontanis, ex cismontanis vero Mendozus Infantarius, qui nondum in amicitiam Ximenii redierat, Pacieccus Ascalonius Gironio coniunctissimus ad resistendum Ximenio consenserant: sed viam optabant qua id iure fieri videretur. Ergo Acunius Zamorensis antistes, præcipuus seditionum popularium author, cui ad Aquilæ arcem gula fracta est, & comes Albalistanus cohortibus armatis, & militaribus tormetis, Gironio præsidium laturi Pintiam aduenerunt. Sed quoniam ciues ad defectionem sollicitabant, de iudicium regiorum sententia Pintia exire coacti sunt. Velascus Cigalios ad Beneuentanum, deinde Pennafielum ad Gironium magnis itineribus proficiscitur, qui videlicet volebat omnem operam dare, vt Gironius eius affinis Ximenii mandatis obtemperaret, & excitatum incendium nulla ruina, sed leui aqua extingueretur. Sed longe aliam menem habere paulo post ex literis ad Gironium datis Ximenius deprehendit, quæ Madriti interceptæ fuerunt, plenæ acerbatis & seditionis: nam Burgensem, & Montanam prouinciam se concitaturum pollicebatur, & Ximenio palam detrahebat, quasi impedimento esset, quominus Carolus rex leges Hispaniæ dignas regulis & populis concederet. Hasce tam eriminolas & tumultuosas literas, noluit Ximenius, sua bonitate & moderatione usus, ad Carolum transmittere, quanuis illum multi instigarēt. Porro Albanus Hierosolyniitani ordinis prioratu Didacum filium & vestigio spoliandum metuebat. Processerat ultra septen-nium hæc controuersia, & post multas cum Ximenio contentiones habitas, litem se perditum videbat, quo nihil durius ei poterat accidere. Ergo Cuellar Alburquerii oppidum, quasi Cueuam solaturus, cuius Francisca filia Faiardi Velezani marchionis uxoris, nō ita pri-dem

dem defuncta fuerat, Madrito proficiscitur: sed re ipsa cum eo acturus de suppetiis Beltrano eius filio, & affini Gironio, qui Villafradæ ob sessi tenebatur, aduersus Ximeniū cerebrosum, & iniuriū hominē ferendis: seq; exercitus cogendi authorem & ducem professus est. At Cueua vir prudentia & consilio singulari; vt perniciosum sibi & suis consiliū mutaret monuit: nec enim aduersus Ximenium, sed omnino aduersus remp. & Carolum ista moliri monuit: quare nec se neq; vllum ex propinquis arma aduersus Ximeniū capturum. Albanus recte inonenti annuit, fuit enim hic vir sui principis studiosissimus, & Madritum rediit. Interea hi qui Villafratello concludebantur, ne illorum insaniæ quicquam deesse viseretur, Ximenii imaginem pontificalibus indumentis vestitam, præcone præeunte, per oppidi vicos (vt fama est) circumtulerunt. Hæc quanvis Ximenio nunciarentur, vocesq; multorum irreuerentes & minarum plenæ iactarentur, non ideo minus rem propositam vrgebat. Nam Sarmentus quatuoruir qui ad Villafratrum obsidendum missus fuerat, mira diligentia oppidum expugnare, ferroq; omnes quotquot aderant perimere nitebatur. Sed iuuenes cum se impares esse ad resistendum animaduerterent, Villafratrum tandem deserere, atq; suæ saluti consulere decreuerunt. Porro Sarmentus re vniuersa ex iuris formula in tabulas relata, nemine aduersante per publicum præconem pronuntiari iubet: Quandoquidem Villafratri regiæ iustitiæ executores indignis modis violati essent, prisco maiorum instituto flammis incenderetur, & muris aratro impacto, oppidi area sale adspergeretur: in monumentum vero patrati sceleris, vt nunquam deinceps vel ædificiis instaurare, vel alio quoquis humano modo colere cuiquam mortaliū liceret. Gironium & Rodericum filium, cæterosq; omnes, qui auxilium tulissent, læsæ maiestatis reos peregit: & vt Gutterio Quixadæ, secundum quem lis data fuerat, damna & impensa resarcirentur iubet. Extemplo ignis in oppidum coniicitur, tormentis bellicis vndiquaq; quatitur, totumq; ab ipsis fundamentis concidit. Septem homines, qui accenso Pintiani conuentus Gutierrez Quixadæ possessionem loci vindicante, seditiosis vocibus inclamauerant, se neminem præter Gironium dominum agnoscere, virgis de Sarmenti sententia cæsi sunt. Vnus ex Anrici Almiranti familia, qui Pintiæ militum delectum, ad præsidium Gironio ferendum, clam fecisse dicebatur, per oppidi vicos die festo in usitatè exemplo verberatus est. Tam atrocis animaduersiōnis in Villafratrū editæ forma, vt per Hispaniam innotuit, vires cunctorum fregit: & qui prius minaces & arrogantes incedebant, animos demiserunt. Ascalonius, qui Madriti aderat, & inter omnes has turbas Ximenii amicitiam palam ostentauerat, ea re audita, tantū doloris & ægrimonie concepit, vt per totos sex dies nemini aditus ad eum fuerit. Apud Franciscū vero Ruizum Abulensem episcopum, officii gratia ad eum venientē, de Ximenii peruvicatia, & animo difficiili, atq; inexorabili, graui oratione conquestus est: vt pote qui nulla amicitia ratione habita, ita Gironiū eius propinquū tractauisset: quo facto vniuersis Hispanis regulis authoritatē, multis de causis debitā indigne imminuisset. Velascus iterum regulis Ultramontanis solicitatis, Mendozio infatio simul etiam adiuncto, legationē ad Ximeniū mittit per quandam Mendozii familiarē: vt quandoquidem in Villafratrum per summā Vrennatis contumeliā tam atrociter saevitum fuisset, cessaret Gironiam familiā amplius persequi, & infaustis præconū vocibus per omnia compita exagitare. Anricus Almirantis, qui nunquam Ximenio aperte inimicus fuit, Madritum ea re cum eo expostulatus, vénit. Multa ab Almiranto, reuerenter tamē de procérum Hispanorum dignitate, & maxima in reges suos fidelitate, fuerunt commemora ta. Et tandem se mirari dixit, vnde viro prudenti in mentem vénisset, ista designare. Nam cum Pontifex Toletanus, cuius personā gerebat, Primas non modo intet Antistites, sed inter regulos etiam in Hispania sit, non modo aduersis nobilitatem, sed aduersis se ipsum ea omnia gerere videri poterat: qui principes viros tam dire & contumeliose frangeret: Rex enim qui nondum eorum animos, fidē, & promptas voluntates nouerat, postquam tam indignis modis tractari intellexisset, paruo in pretio erat habiturus. Quocirca etiam atq; etiam caueret, ne in eas angustias ex quibus difficulter explicare se possent, regem, rempublicam & omnē Hispaniæ nobilitatem de principe suo bene merentē, coniiceret: Nota enim plerisq; esse, quæ de regulorum superbia, cōtumaci ingenio, malisq; artibus ad regem iratus scripsisset. Quare si Carolo æquissimo, potentissimoq; regi morem gerere vellet, & saluti reip. consilere, diuersa cum illis ratione ageret, & se ad animi æquitatem componeret, omni deposita iracundia. Deniq; multa se alia prætermittere dixit, ne dolorem suum refricaret. Ximenius paucis Almiranto respondet: Nunquā sibi illorum artes placuisse qui per saevitiam, aut aliorum iniuriās, gratiam inire apud reges curabant: reipublicam, quam ei rex tantopere commendasset, pro virili sustinuisse. Ad Carolum quædam de regulis setipissime, quæ ad quietem publicam pertinere videbantur, non tamen ea ver-

borum inciuitate, quæ vulgo pro cuiusque libidine iactabatur. Quod ad Gironium pertinebat, satis se hactenus dissimulasse, iam eo loci rem esse, ut à Carolo tantum expediri posset. Interea Petrus Gironius, maior natu Gironii filius, iterum in Bætica nouos militum delectus cōscribere cœpit, sed nemo se illi adiūgere audebat, cūctis Ximenii indignatione, post Vilafratrū deletā, formidantibus. Ergo Gironii quid è Belgio Carolus inberet audecepebat: nō enim interea cessabant difficultes Ximenii mores apud Carolum increpare, ut aptissimos ad seditiones concitandas. Belgæ Ximenii adhortationes, & Senatus regii literas, reiq; ipsius naturam considerantes, omnia ex Ximenii sententia ut fierent decernunt, & eius aduersus Gironium actis autoritatē quantamq; postulabat præstiterunt. Ergo diploma regiū ad Senatū missum est, quo Ximenii gesta vniuersa rata esse iubebantur, & Gironiis nota lœsa maiestatis inurebatur, nisi illico se ad regium tribunal siſterent, & iudicatū facerent. Tunc demū omnes intellexerūt, quantum reuerentiae & honoris, cum publicis legibus & institutis, tum earum ministris & iudicibus esset deinceps perpetuo deferendū. Ascalonius, qui Gironii fortunas in præcipiti positas videt, amicitiam Ximenii nouis officiis demererit studerit, & omnes temporū opportunitates captans, ad Ximenii animū, quoties occasio dabatur, placandū, tandemq; factum est, ut Gironius ad Ximeniū supplex veniret, paratus omne iudicium subire. Ergo ex Ascalonii sententia rebus compositis, Francisco Ruizio Episcopo Abulensi (vt Carauaialus testatur) curante, venia criminū, quæ contra leges cōmiserat, data est. Nam Ximenius ad Lupum Aialam scripsit, ut eius nomine Carolo referat, Gironiū virum primariū, satis pœnarum dedisse, quis supplex ad se venerit, & sibi liberisq; suis veniam efflagitauerit, & animi in diuersum mutati plurima exempla dederit. Neq; enim omnia ad viuū resēcanda aut principes viros æqua cum priuatis hominib. conditione pleſtendos esse. Deniq; in hoc esse conuentum, vt res integra regis cognitioni seruaretur, ut nihil de iure suo regi, aut reipub. deperire videretur: & Gironius mirifice in officio contineretur, ne ad naturam & mores suos redeat. Ferrut dum Madriti de his rebus aucturus Gironius moraretur, quanuis rebus aduersis fractus ingenii tamen sui non oblitus, dictis non omnino ineptis Ximenium perstrinxisse. Cum aliquando ad eum accederet, cubiculi præpositos ecquid rex Ximenius ageret quæſiuit. Nam Ximenius inter priscos, & pauperes Hispaniæ reges numeratur, & quoties aliquid rude, & ab vsu iamdiu remotū significare volumus, id Ximenii regis temporibus factitari solitum parcmiæ vice, dicimus. Item ab eo digrediens ministros rogauit, an Ximenius tineoso esset capite, qui tam supersticioſa cura ne quid capit is retegeretur, caueret: visus enim fuerat nimis maligne caput aperuisse in Gironii discedentis honorem. Illo ipso tempore quo contentiones Gironii sunt finitæ, Leo x. Pontif. Max. comitiis v. Cal. Iulii habitis, inusitato cooptationis numero xxxi Cardinales creauit, & in his Adrianū Florentium, qui vna cum Ximenio moderandis rebus præfectus erat. Ea tam numerosa Cardinalium creatio parum grata reip. fuit, multi enim Cardinales vehementer restiterunt, & in primis Antonius Montius, Ioannis Montii auunculus, qui post Max. Pontif. factus Iulius tertius dictus est. Inter hos Raphaelem Vrbinatem, clarissimū pictorem cuius arte oppido quam delebat, ut hoc honore collato, ingentē æris summam quam illi ex pictura debebat, cōpensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienæ Cardinalē, neptem suam in vxorem offerentē nouis morarū causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes eius spes præuenit. Graue Ximenio visum est supremū ecclesiæ honorem tralatitium fieri. Sed Pii quarti Pont. Max. tempore non ita dudum factum esse vidimus. ut quadraginta & amplius Cardinales crearentur, pluresq; adhuc creandi esse credebantur, nisi quinto idus Decemb., anno M. D. LXV. ab humanis esset sublatus. Adriani promotione nō ingrata Ximenio fuit: nam ea occasione Didaco Lupo per arcana literas iussit, ut suo nomine cum Carolo ageret de Adriano Romā, aut in Belgium, aut in diœcesim suam mittendo, quandoquidem à rebus gerendis natura sua abhorrens, noua tunc dignitatis accessione potius impedimento, quam vlli vsui futurus esset Literæ elegantissimæ inter Petri Bembi epistolas Leonis x. nomine editas, quas Leo ad Carolum de Adriani cooptatione scripsit, circumferuntur: quibus perbelle ad hominem benemeritū augendū primo quoq; tempore exhortatur. Nempe illum fortuna ad summā dignitatē vocabat, aut potius urgebat. Gironii simultatibus contentio cum duce Albano successit, quæ ob dignitatem maximi emolumenti, & honoris suscepta esset, magnas turbas excitauit. Erat res futura cum regulo potentissimo, & iusta (ut videbatur) indignatione commoto, qui amplissima dignitate, quam per totos sex annos tenuerat, priuabatur. Ximenii etiam robustus animus, & cedere nesciū capitales inimicitias promittebat. Quare cunctorum mentes suspensæ erant, quo res esset euasura. Est ea dignitas in Hispania

Hispania adeo opima, vt si ius successionis accederet, cum cæteris Hispaniæ principatib. qui potentia & autoritate præstant, proculdubio comparari posset. Ab hac dignitate Valenzuela sub Enrico quarto malis artibus, vt illa erant tempora, deiectus fuit, & eius loco Aluarus Astuniga rite suffectus. Sed is vel morbis, vel senio afflictus, otium sibi necessarium illa in ætate iudicans, in Antonium Astunigam ex fratre nepotem, prioratum transtulit, Philippo rege annuente, & Pont. Max. confirmante, ne quid iustæ & legitimæ solennitatis defuisse causari quisquam posset. Ferdinandus Post Philippi mortem ad Hispaniam moderandam rediens, voluit Albano, cuius singularia in eum officia fuerant, gratificari: & Didaco tertio eius filio, sancti Ioannis prioratum contra publica iura, & Hispaniæ leges, antiquamq; maiorum consuetudinem contulit. Ergo magistri Rhodiorum authoritate, qui per Pontif. Max. collatum esse ægerime tulerat, Antonium prioratu priuauit, & Didaco Albani filio concessit. Factum est id Melioratæ in Hieronymiano coenobio, per Rhodiensis ordinis Balionem (sic enim suos ministros nominant) qui Rhodo à rege ea de causa accessitus fuerat, anno huius seculi M. d. xii. postridie idus Aprilis. Antonius apud Pont. Max. de regis iniuria, & magistri Rhodiorum audacia, sed frustra conquestus est, sunt enim longæ regum manus: quare in Belgium ad Carolum configuit, vt patris Philippi acta tueretur. Sed postquam Ferdinandi regis mortem cognouit, Belgis curantibus, apud Carolum egit, vt eius voluntate & fauore in integrum restitueretur. Romam proficisciit æquo iure cum Albano iam decertaturus. Multa Albanus, sed ea omnia Romanis iudicibus ingrata, obiiciebat. Nam sancti Ioannis prioratum, cæterasq; omnes militarium ordinum præfecturas ex Martini quinti diplomatis Ioanni secundo concessis, ad reges Hispaniæ & Rodiorum magistros pertinere aiebat: in Hispania etiam apud regum Senatum proclamabat, regem & rempublicam ipsam perniciose lædi, si ea quæ proprie regii iuris essent, ad Pontificem Maximum iterum incaute deuolui sinerent. Contra Antonius se perinique spoliatus esse contendebat dignitate, quam iure optimo posse federat. Iudices Romani, causa probe examinata & cognita, Antonio Astuniga pontificia diplomata dederunt, quæ post causam diiudicatam & confessam, victori tradi solent, ad ultimam rei controversæ executionem, vnde executorialia vocantur. Hæc ad Carolum illico detulit, cum Leonis decimi Pontif. Max. literis, ex quibus constat, regis Ferdinandi intercessione, iudiciorum mora per biennium esse factam, quas hic referre non est operæ pretiū, cū inter epistolas P. Bembii circūferantur. Carolus partim sua voluntate partim P. Max. epistola initatus, Antonium in Hispaniam cum hisce ad Ximeniu literis mittit. CAROLVS Hispaniarum rex, Francisco Cardinali Toletano, amico carissimo S. Quæ de prioratu sancti Ioannis Hierosolymitani ad nos accurate scripta misisti, valde probata à nobis sunt. Causæ tamen magnitudo, & contendentium dignitas, vt omnia prius experiamur, quam cum illis summo iure agamus, efflagitant. Idcirco clementia nostra dignum duximus, vniuersum prioratus patrimonium (hoc est) arcæ, oppida, emolumenta & prouentus fiduciaria possessione in potestatē nostram tantisper redigere, donec quid sit faciendum decernamis. Id vt citra tumultum à te perficiatur, dux Albanus & Didacus eius filius, meo nomine tibi conueniendi sunt: quibus nostrum hoc consilium expones; dabitisq; operam vt mihi hac in re obtemperent. Compromissum faciant in quo me arbitrum statuant: quod fide publica confirmatum, ad nos quamprimum mittatur; sumus enim semper habituri honoris & commodi utriusq; rationem. Id si fecerint, nobis erit perquam gratum: si minus, quindecim dies duntaxat ad deliberandum damus, quibus elapsis nomine nostro prioratum capies, virosq; regiæ maiestatis fideles, oppidis & præsidii præficies. At si dux, aut eius filius parere recusauerint, te in primis hortamur, Senatui vero nostro iubemus, vt diplomata Pontificia, ab Antonio Astuniga Roma allata, sine cuiusquam respectu manu regia exequamini. Id si ex sententia nostra, vt spero, confeceatis magnam gratiā apud me inibis. Vale Bruxellis xix. Cal. Febr. anno Dom. M. d. xvii.

50 Astuniga Begerensis dux cum Antonio fratre conuocatis ex sua ditione, quæ ad Anam flumen est, præsidii, multisq; regulis (nam Mendozius Infantarius, Cañenas protinctio Granatensis præfetus, qui postea dux Maquetanus fuit, Fonsalitanus Aialæ familiæ primarius, aliquotq; alii eum sequebantur) nulla quidem armorum specie ad Ximenium venit, cui literas regias obtulit, omnem suam & suorum operam pollicitus, si vsus foret. Postquam hæc omnia Albanus cognouit, & Ximenium flecti posse desperauit, qui item illum iurgiorum & seditionis plenam finire cupiebat: suam atq; Didaci filii dignitatem, non quidem aduersus regem, sed aduersus Ximenium, familiæ suæ (vt iactabat) hostem, omnino conatu & virib: defendere statuit. Ximenius febribus tertianis eo tempore Madriti laborabat, vnde Albanus erectior factus, numerosam suæ geritis familiam, & ultramotus

tanos regulos, sibi necessitudinis vinculo coniunctos, solicitauit. Porro Antonius Fonseca  
 Cocceiorū in Vacceis dominus, & Ascalonius ex Cismontanis, qui haec tenus dubii utram  
 in partem inclinarēt, fuerant, tertio post Astunigā aduentū die, ad Albanas partes transie-  
 runt: quod non mediocriter Astunigā cōmóuit. Erat in Ascalonio diuitiarum facultas &  
 potentia, quā multæ propinquorū clientelæ adaugebant. In Fonseca animi præstantia, &  
 longo rerum usu prudētia. Ruizius Abulensis Episcopus prætorianā cohortē in armis esse  
 iubet, cui tercentos strenuos milites adiunxit, ne alterutrius factionis homines Madritū in-  
 grederentur. Interea Ximenius à morbo recreatus, deq; his omnib. continuo edoctus v-  
 troq; regulo ad se accersito, inducias pollicetur, donec receptis virib. quid uterq; iuris ob-  
 tineat, & quid sit ē reip. vtilitate, & quemadmodū inter eos melius controuersia componi  
 possit, accuratius possit inspicere. Supplicationes pro Ximenii incolumitate, Madriti pri-  
 mum, deinde per vniuersam Castellā sunt habitæ: videbant enim ex vnius hominis salute,  
 eo præsertim temporis articulo, vniuersæ reip. quietē pendere: Eo enim ægrotante, præ-  
 fidiis arces cōmuniebantur, & ad res nouas omniū animi ergebantur, qui Ximenio meli-  
 us se habente pacati sunt. Albanus donec iterū Carolus de vniuersis causæ eius articulis  
 consulueret, & quid exequendū foret rursus iuberet, quicquid Ximenius facere tentaret  
 armis repellere decreuerat: palamq; clamitabat, se regium ius eo modo tueri, cui patro-  
 natus ratione prioratus designatio debebatur. Fraudē etiam magno Rhodiorum magistro  
 creari affirmabat, ad quē post regis designationē, collatio pertinebat. Ximenius qui rem  
 omnem perspexerat, Albani voces vanas esse intelligens, ad Carolum scripsit, vt in re se-  
 mel imperata constanter persisteret: permultum enim interesse, regias voculas vel per io-  
 cum emissas, nedū sigillis impressis publicatas, firmitatē & robur tenere. Post aliquot dies,  
 de literis regiis ab Astuniga allatis in Senatu agere cœpit: sed non omnes ad eam executio-  
 nem illico faciendā animatos offendit, erant enim qui Albani causam æquiorem esse arbit-  
 rabātur: quorum sententiam Belgæ legati, Adrianus & Laxaus, non mediocriter confir-  
 mabant. Itaq; dubitari in Senatu cœptum est, an literis regiis Albanus satisfaceret, si facto  
 cōpromisso prioratum retineret, donec rex arbiter certum sequestrem declararet: neque  
 enim ex diplomate satis liquere. Item iuris formā in literis inuerti obiiciebant. Quorsum.n.  
 castris & arcib. prioratus ex regis iussu occupatis, postremo tabule pōtificiē pōferēdē erāt.  
 Sed cum hæc omnia tempori tantum eximendo ab aduersariis dici Ximenius intelligeret,  
 dedit operam vt omnes in Senatu de regiis mandatis exequendis concordes essent. Alba-  
 nus cui aqua hærebat, ad Germanā reginam cōfugit: quæ cū propter antiquū in Ferdinandum  
 coniugem amorē cui vnicē carū semper Albanum fuisse intellecerat, tum ob priu-  
 atum erga ipsū affectū, non mediocre præsidium tulit. Nam eius diligentia & studio factū  
 est, vt Ludouicus Galliæ, & Enricus Britanniæ reges, cum Carolo in primis, deinde cum  
 Chebrio, cæterisq; Belgæ aula principibus agerent, ne Albanus clarissimus in Hispania  
 regulus, cuius officia in reges cōplura extarent, & qui Ferdinando in repub. Hispania am-  
 plificanda tam multiplici opera vtilis extitisset, ea dignitate, quam de veteri Hispaniæ in-  
 stituto per sexenrium tenuit, nunc inimicorum iniuria spoliaretur. Cœpit Carolus non-  
 nihil de constantia, ob regum intercessionē remittere. Sed Ximenius cum Chebrio per  
 literas acriter expostulauit, qui regis authoritati male consulueret, & seditiones in remp. in-  
 ucheret, ni totis virib. curaret, vt Carolus in sententia obfirmato animo eslet. Nam Astu-  
 nigenses, quorum illustris & amplissima erat, tum familia, tum clientela, parati erant de-  
 pugnare, & ferro controuersiam dirimere: quod & fecissent, ni illos ipse promissis de Ca-  
 roli constantia detinuisse. Post has literas datas, Albanum ad se Ximenius accersit, quem  
 præsentibus legatis, senatoribusq; regiis, & Oñorio comite, pro diuturna inter eos con-  
 suetudine, amicissimis verbis adhortatus est, vt moderatione animi & prudentia, quam  
 in eo semper cognouisset, tunc ad eam rem componendam uteretur: se enim in iis decen-  
 nendis eius cōmodis non defuturum, si absq; vllis reip. motib. totā rem transfigi & confici  
 permitteret. Regi ergo prioratū traderet, vt de illo secundū leges statuere posset. Quod si  
 id durū videretur, se de regiis mandatis permultum remissurū, ne omnia pacifica noluisse  
 argueretur: & Petro Bazano, Balduernæ & Vanezæ domino & Albanæ familiæ per omnia addicto, prioratum traditurū, quem in regis aduentū adseruaret: se quoq; tunc effe-  
 cturum, ne Antonio Astunigā tradi posset, nisi post tres menses elapsos. Eas conditiones  
 Albanus contempsit: atq; inde digressus omnem culpam in Ximenium reiiciebat, qui salua  
 regis maiestate mitius secum agere poterat: quasi vero supremū reip. moderandæ, ea  
 de causa Ximenius subiisset, vt iuxta leuiū hominum vulgarem consuetudinem, priuatos  
 affectus officiis anteponeret. Igitur Albanus Madrito in Ultramontanam regionem pro-  
 fectus, amicos regulos de ea re consuluit. Qui Villafratrēsis casus memores, vt quiesceret, &  
 conditions

cōditiones quas Ximenius obtulisset accipiat, cōsulenti responderunt. Hæc ad hūc modū  
 acta fuisse ex Velasci comestabilis, qui eo tēpore Pintia aderat, ad Astunigensem Mirandæ  
 comitem literis, qui cum sibi necessitudo intercedebat, compertum fuit. Acquieuit tunc  
 Albanus in amicorum consiliis: verum postea res incrudescere denuo cœpit, multaque &  
 varia hinc inde tentata & acta sunt: de quibus omnibus, in Ximenii literis quæ per arca-  
 nas notas sunt datæ, longa admodum notitia est: nobis hæc tantum dixisse satis sit, ad utri-  
 usq; causas indicandas, quibus tandem rationibus adducti, tam acerbas simultates exer-  
 cuerint. Ut igitur Albanum Ximenius nulla ratione in sententiam suam pertrahi posse vi-  
 det, præsidia reip. hoc est milites à se institutos, diuersis ex locis conuocat, & Ferdinandum  
 10 Andradam præfectum militum, ad eam rem designat. Legati eos motus conspiètes, quo  
 rese uasura esset incerti, mirum in modum angi cœperunt: & Ximenium vt Caroli aduen-  
 tum expectet adhortantur, ne resp. quam hactenus florentem tenuerat, nunc peream oc-  
 casionem detrimentum caperet. Antonius Fonseca vir nobilis, & rei bellicæ peritia atque  
 animi præstantia clarus, quem Albani partes palam tuendas suscepisse diximus, multis a-  
 pud Ximenium ea de re differuit. Quo remp. coniiceret etiam atque etiam consideraret:  
 esse iam omnium exacerbatos animos, qui si caco furore semel metum & pudorem abie-  
 cissent, nullis consiliis, aut fræno cohiberi possent. Ad quæ Ximenius, Pone metum (in-  
 quirit) Fonseca, nec te rerum istarum euentus discruciet, ego enim prosperrimum efficiam.  
 Mille equites cum ex prætorianis, tum ex regiis præsidiis, quos nostri limitaneos appellat,  
 20 ad se accersit, quorum septingenti cataphracti erant. Item quinque millia peditum con-  
 scribi iussit, in quibus veterani quingenti, qui sub Villalua Placentino stipendia fecerant,  
 & quos Ximenius custodiæ causa in vicis Madritto proximis retinebat, sunt annumerati.  
 Cauit etiam, vt in diœcesi Toletana tercentum equites in procinctu essent, cum nō pœni-  
 tenda peditum manu, qui in supplementum, aut in auxilium, si forte opus esset, venirent.  
 Hos aduersus Consaburenses, vbi Didacus se se munierat, omnia extrema sustinere (vt aie-  
 bant) paratus, proficisci iubet. Sed antequam ad manus veniatur, per reipub. facialem de-  
 nunciari placuit, vt Didacus Consaburensi præsidio cedat: armatos omnes dimittat: præ-  
 sidia prioratus, arcesq; cunctas, & oppida tradat: & ex æquo legibus cum Astuniga acturus,  
 in regium tribunal descendat: regem præterea, ex Pont. Maxim. præscripto, arbitrum sta-  
 30 tuat. Sin id contumax renuerit, læsæ maiestatis damnatum esse: eiusque bona & fautorum,  
 fisco addicta. Interea Albanus circiter mille pedites cum paucis equitibus Consabronem  
 mittit, qui multum æris & commeatus ad Didacum & socios deferre dicebantur. Idcirco  
 Ximenii cohortes prædæ cupidine festinantes, locorum angustiis & diuerticulis præoccu-  
 pati, non modo transitu prohibuerunt, sed in latiora loca procedentes, leui opera fuderūt,  
 atq; omni pecunia & commeatu spoliarunt. Inde ad Consabronem accedentes, dies ali-  
 quot ex formula iuris quieuerunt, vt facialis regia mandata denunciaret, bellumq; crue-  
 tum indiceret. Toletana iuuentus, quæ cum Didaco erat, animorum vigore & præstantia  
 exultans, loculos cadaueribus construi solitos, pullo colore illitos, è mœnibus ostentabat:  
 quasi se omnes more Hispanico, de quo multis ante seculis in Dionis Nicæi historiis men-  
 40 tio est, ad commoriendum cum Didaco deuouisse innuerent, priusquam præsidium Con-  
 saburense traderent. Cum hæc Albanus rescivit, ne per tantum tumultum negotium age-  
 retur, Madritum venire necesse habuit: vbi Germanæ reginæ, & legati Adriani opera ad-  
 iutus, cum Ximenio de prioratu tradendo egit, modo conditiones, quæ prius offereban-  
 tur, aliæq; quas insuper addebat, concederentur. Nam pro tribus mensibus, quos Xime-  
 nius concedebat, de non tradendo prioratu post regis aduentum, tres annos dari, & vt in-  
 terea tantundem pecuniaæ ex regis ærario, aut vectigalibus sibi numeraretur, quantum ex  
 fructibus prioratus redigebat. Omni conatu legati contendebant, vt illis pactis Ximenius  
 annueret: qui quanvis antea conditiones aliquot obtulisset, tunc sine ullis pactis aut exce-  
 ptionibus, vt prioratum regis arbitrio permitteret statuit, quādo in etiū locū res progressa  
 50 esset: alioqui Albani poti' metu, quā libera volūtate id præstítisse, multos fore arbitraturos.  
 Ergo Albanus iam mutato consilio ad Ximeniū venit, coramq; cum eo egit de prioratu li-  
 bere tradendo. Factū est id sub idus Iulias, hora noctis intempesta. Igitur post longam inter-  
 vtrumq; expostulationem, Ximenius se nunquam in causa fuisse dixit, vt eo in cardine ne-  
 gotia versarentur. Præterea aliotum vicarios non posse ultra mandata excedere, quod vt  
 crederet, literas Caroli archetypas protulit, quas Albano in manus dedit: & vide (inquit)  
 quid ego, salua mea fide, & regis autoritate, in tuam gratiam facere possim, nam id om-  
 ne præstabō. Nihil aliud Albanus (inquit) quam vt postquam prioratū Didacus tradi-  
 derit, nostra familie rationem rex habeat, cuius fidem atque obseruantiam ad res om-  
 nes gerendas expertus est, & perpetuo experietur. Audio etiam te statuisse, Ferdinandu-  
 do Andradæ militum præfecto, prioratum tradere afferuandum, donec rex veniat:

Indignum est, ut is qui Franciscam Astunigam, aduersario meo propinquam, vxorem duxit, in nostras calamitates insultet. Aequum postulare Ximenio visus est, quare Antoniu Cordubam, Capræ comitis fratrem designauit, cui prioratus traderetur: sic tamen, ut Ferdinandino Andradæ primum dederetur, & is postea Cordubæ traderet. His ad huc modum constitutis, ea ipsa noctis hora datæ sunt literæ Ximenii ad Ferdinandum Andradā, Albani autem ad Didacum filium, ut hic prioratu cedat, & ille arma continuo ponat: quæ omnia ex præscripto confecta fuerunt. Et ne quid deesse videretur, veniam & impunitatem dari præconio promulgatum fuit cunctis, qui Albani partes essent secuti, publica fide interposita, ne illorum cuiquam fraudi esse posset. Interea Didacus, quod in rem suam esse existimat, conuentum militum Hierosolymitanorum, Paradinis commendatariorum oppido, quasi iustus prior esset, indixit ad vi. Idus Septembris. Nam magnus Rhodiorum magister Didacum tantum priorem agnoscebat, & illi negotia ordinis demandabat. Ximenius hæc in fraudem Antonii, & contra pacta conuenta fieri animaduertit: & Didacū seueremonuit, ne conuentum quoq; indiceret, aut aliud quicquā quasi prior, suo aut Rhodiorum magistri nomine, gereret. Nam Didaco imperia sui magistri causanti Ximenius acute respondisse fertur: Reste quidem, si tu ista in Rhodo in sula tractanda suscepisses, nō in Hispania, cui ego sum præfectus: oportuerat enim me prius consuluisse. Sed quanuis Didacus tunc cessauit, Ximenii præstantiam & seueritatem veritus, tamē post eius mortem, Antonio neglecto, prioris munera obibat: vnde tumultus sunt orti, quos vix Carolus partito inter eos prioratu sedare potuit, donec Antonius Perpennianum profectus, vt præfidiariorū militū duxisset diem suū obiit: & Didacus in integrum successit. Supererat adhuc lis vna terminanda, ex his quas Ximenius finire decreuerat: ea erat de Ripadei ad Galliciam comitatu, cuius ditionis tractus angustus quidem. sed soli amoenitate & vertute, cæliq; salubritate, nulli Galliciæ principati postferendus. Comes ob antiquam suæ familie in reges obseruantiam, priuilegio non vulgari iam olim fruicit: nam die festo Epiphaniæ, quo reges nostri lauici & conuiuantur, & ornantur, epulis regiis accumbere conceditur, & vestitu quo rex teatrus fuit donatur: idq; quotannis. Hunc ergo comitatū Villandradus paulo ante posse derat. Is duas vxores sterilitatis causa allegata repudiaerat: Isabellam Castannam primo, & deinde Ludouici Biberi filiam: Leonoramq; genere Mauram, libertā suam, vxore duxit: ex qua Rodericum filiū suscepit, cui Anricus Almirantus filiā notham vxore dederat. An is legitimus haberi deberet, & priorū vxorum nuptiæ ratæ non essent, à Ferdinandi catholici tempore magna cōtentione controuertebarūt. Nam Maria Vlloa multi nominis fœmina, Sarmento comiti Salinario nupserat, qui Villandradi ex foro nepos erat, ad quem comitatus pertinebat, si Rodericus Leonoræ filius spurius iudicaretur. Qua de causa Maria Vlloa Roderico litem intenderat filii nomine quem ex Sarmento genuerat. Rege catholico viuente, nunquam Rodericum legitimum esse declaratum est, quamvis Almirantus id vt fieret multum laboraret. Fuerat quidem Biberi matrimonium sententia iudicis à Pon. Max. delegati diremptum, & nuptias cum Castanna irritas fuisse non dubitabatur. Ximenius cui Rodericus pupillus certus hæres esse videbatur, comitem eum Ripadeum appellauit, curabatque sedulo vt talis haberetur. Sed quoniam in Mariæ Vlloæ partes multi regii Senatores inclinabant, quos Compostellanus & Burgensis Antistites, Velascus etiam, & Mendozius reguli, omni studio solicitabāt, cognitionem causæ ad Pintianum tribunal remisit, vbi de more ad exitum perducerēt. Sed qui aduersus potentissimos regulos aliarum causarum lites diffiniuerat, vnius fœminæ opera vincitur. Nam rursus Maria Vlloa in contrarium nitente, regemque multipliciter captante, literæ tandem ab ea allatæ sunt, quibus Ximenii mandata irrita fiebant: & Sarmentus Salinarius Ripadeus comes tandem pronunciabatur. Nam Belgæ, quos præteritum tumultus male habuerant, cum adhuc per Mariam Vlloam nouis terroribus retardarentur, fessi potius rerum grauitate, quam Ximenii potentia in re non admodum difficili diffidentes, noluerunt postremo experiri, quid ille etiam in hac causa posset. Id Ximenius moleste tulit, & literas ad Catolum dedit querelarum & doloris plenas. Ad Belgas autem aulicos, se satis quid in Hispania posset perspexisse, quare non esse cur timerent: sed omnem potius curam in Neapolim & Siciliam conuerterent, vbi noui tumultus subinde oriebantur. Se grauissime dolere, quod puer pupillus, cui pater viuens comitatu cesserat, nullis nunc allegationibus prolatis, statu esset deiectus. Addidit etiam aliquot ultramontanos regulos, libello ex iuris formula proposito, aduersus literas regias in pueri fauorem intercessisse. Quoniam nihil acrius omnium animos irritat, quam iustitia peruersa administratio. Nihil super ea te Belgæ responderunt, sed potius cum nouos quotidie tumultus emergere viderent, regis præsentiam necessariam esse demum sentien-

fentientes, ut in Hispaniam primo quoq; tempore traiiciat decernunt, deque eare certior  
 rem Ximenium faciunt. Ille classem apparatissime instructā, cui Gumetum Buytronum  
 virum inter Cantabros præstantem præfecit, ad regem omnium votis, sed suis præsertim  
 exoptatissimum, in Hispaniam deducendum mittit. Portus omnes & stationes Oceanī,  
 cum Callaici, tum Cantabrii explorat: & quoniam nonnulla maritima loca pestilentia  
 laborare nouerat, salubriora magna diligentia custodienda curat, & magna annonæ a-  
 bundantia instruit. Ferreræ quatuor viro, experienci viro, horum curam tradidit, & Bu-  
 ytrono ad classem instruendam, executorem & comitem dat. Ipse vero quo regi adueni-  
 enti maturius occurrit, & rebus disponendis præsto esse posset, quanuis corpore imbe-  
 cillo, regium comitatum Madrito mouet, & Arandam ad Duriam flumen sitam conten-  
 dit. Placuit illud oppidum ob multa, sed ob vicinum cœnobium Franciscanum præcipue,  
 amoenissimo in loco ædificatum ad Aquileram vicum quod eius valetudini aptissimum  
 putabat. Turrilacunam natale solum Ximenius obiter inuisit, veluti tellur gentitici ult-  
 timum valedicturus: nam illac Arandam eunti transiendum erat. Secum Ferdinandum  
 principem, Caroli fratrem, adducebat. Comites sequebantur, Adriani & Armastor-  
 phus legati: nam Laxaus, quemadmodum & cæteri qui in comitatu regio erant, alias alio,  
 vt solet, diuerterat. Postridie diui Laurentii, qui dies ad tertium idus Augusti est, Turri-  
 lacuna Ximenius discedit. Venit altero die Bozeguillas, montanum vicum. vbi pran-  
 denti fama constans apud nos trots est, venenum fuisse propinatum, cuius vi paulatim cō-  
 tabuerit. Nam post eas epulas solito grauius ægrotare cœpit. nec multo post sanies per au-  
 res, & vnguium iuncturas erupit, reduciis persimilis. Multa veneni famam confirma-  
 runt: nam quo die Bozeguillas est pransus, eques quidam Marquinæ Franciscano pro-  
 uinciae Cismontanae prouinciali ministro, & aliis magni nominis monachis, quos Xime-  
 nius accersierat, occurrit, capite fasciis obuoluto ne agnoscere posset, qui Madritum pete-  
 bat. Hic monachis dixisse fertur, si ad Cardinalem iris, diligentius festinate, vt eius pran-  
 dium anteuertere possitis: & diligenter monete, ne ingentem troctam, quæ illi condita  
 est, gusteret: habet enim venenum præsentaneum. Quod si serius peruereritis, curate ut  
 animæ suæ de more Christiano consulat, neque enim veneni vim superare poterit. Mar-  
 quina homo syncerus, totam rem Ximenio patefecit. Ille vero quanuis huiusmodi ri-  
 motib. non multum fidei habere esset solitus, si quid huiusmodi o pater, mihi accidit.  
 ante hunc diem accidisse certus sum: nam lectis quibusdam dum Madriti esse è Belgio  
 literis, oculis venenum hauiisse mihi sum visus: nam ab eo tempore notabiliter languore  
 cœpi: sed hoc etiam mihi non fit verisimile. Deus qui omnia ineffabili sapientia mode-  
 ratur, ægritudines dat, & idem aufert: illius arbitrio fas est, nos & nostra permittere. A-  
 liquando etiam dixisse medicis fertur, seproditorum perfidia perire. Porro Franciscus  
 Carrillus, qui Ximenio Bozeguillas ministrabat, cum troctam de more prægustasset, ve-  
 hementer ægrotauit. Erant qui veneficii authorē è Belgica aula prodiisse dicerent. Nam  
 ex literis eius, & mandatis ad Carolum per Lupum procuratorem missis, abunde Xime-  
 ni animum intellexerant de regis aula mutanda. & Belgis in patriam amandandis. Et  
 tanta esse authoritate & gratia apud regem Ximenium videbant, vt id facile effecturum  
 crederent. Nonnulli Baracaldum nefarii sceleris administrum faciunt. Erat ille fronte pa-  
 rum verecunda, & pecuniae audius, cuius fides ob legationem apud Belgas male actam  
 vacillauerat, videbaturque Belgis addictus plus satis, & obstrictus. Literas etiam nomi-  
 ne Ximenii Gallice scriptas in Belgium tulit, quas ille suas esse negabat: & Didacum Lu-  
 pom hortatur, utreas studiose quæsitas ad se transmittat. Ab eo tempore Ximenium de-  
 creuisse, in subsignandis libellis, literisve, Baracaldi operationi vti, ex epistolis Abulensis  
 satis constat, qui in illius mores nimis inuehitur. Sed hic Baracaldo infensus erat, prop-  
 ter pensionem Cautiensem interceptam. Nec cuiquam verisimile videri poterit, non  
 aliquo aufugisse, tam atrocis criminis sibi consciem, & patroni vultum ferre potuisse: nam  
 Ximenium illius opera & manu semper usum fuisse, quoq; diem suum obiit, multorum re-  
 stimentiis planum est. Est apud me Baracaldi epistola, quam septimo Cal. Oct. Aranda ad  
 Didacum Lupū dedit, cuius tres aut quatuor versus bona fide Latino feci, quisic habent:  
 Illud autem operæ pretium est, vt scias Cardinalem cōmunem patronū tam vegeto corpore,  
 & prospera valetudine nunc esse, ob hilaritatem (vt arbitror) quam postquam rex hostes  
 orā soluit cōcepit, vt vel in totos viginti annos vitā sit protogaturus. Certe tāti criminis con-  
 sciētia perturbatus hæc scribere nō potuisse, ad hominē præsertim adeo Cardinali intimū.  
 Lapidibus mediis fidius appetitus & obrutus fuisset à Ximenii domesticis, qui id non po-  
 tuissent nō odorari. Aquileræ oppido exiguo, Valuasius, & Petrus Lerma, si quando ad Xi-  
 menium veniebant, comitem Baracaldum adducebant: neq; enim in illo vitæ exume-

curriculo nisi intimi admittebantur, & ibi Ximenio assiduus scribendi operas dabat. Didacus etiam Lopus, quem Baracaldus loco deturbare apud Carolum voluit, constans affirmabat, falsum id esse, neque vñquam à Baracaldo attentatum. Abulensis quidem, qui multa hominis vitia per arcanae notas numerat, non erat hoc præteritus, sed tamen mentionem nullam facit. Confirmauit hanc vulgi famam, quanuis mendacem, Baracaldi mors. Solent enim homines ex mortis genere, de ante acta vita iudicium ferre. Ille ergo vt à Chebrio repulsus fuit, domum Aegidii Baracaldi parentis sui Turdesillas diuertit, qui cohortis prætoriæ apud Ioannam reginam præfectus erat, vbi grauissimè ægrotare cœpit: & cum atrabile vexatus, fenestræ prospectu se oblectare conaretur, merore confessus animam stans efflauit. Sunt qui mulæ calcibus Seguntiæ impetum, dum Roman properat, obiisse affirmant. Postquam Ximenius Arandam peruenit, tumultuari Pintiæ cœptum esse accepit: & vulgo iactari, ea quæ de aduentu Caroli dicebantur, à Ximenio confungi, qui iter illud æstuoso tempore fecisset non alia de causa, quam vt Ferdinandum puerum ad Belgas transmitteret: & Hispania regia prole orba, sub illo maneret: cuius vita diutius produci non poterat, ob grauissimam eius ægritudinem in ætate adeò prouecta: vnde ipsi aut bellis ciuilibus erant laboraturi, aut præda finitimiis hostibus futuri. Sed legatis ad Pintiam missis, qui eos de regis aduentu, deque suis consiliis edocerent, extemplo coercuit. Arandæ etiam ineunte Septembri, de Ferdinandi principis Magistro pædagogo, & plerisque aliis ministris amouendis, solicite egit. Dictum est supra, Ferdinandum Caroli fratrem, à regibus catholicis, Petri Nonii Guzmani, Oretanæ militiæ clauigeri curæ traditum: sub mortem Philippi regis, cum è Senticensi oppido vbi diuersabatur, in arcem per Didacum Gueuaram deductus esset, Catanensis Episcopi Petri fratri studio & consilio Pintiam translatum fuisse: atque hunc Petrum, Guterio Padilla militiæ Oretanæ præfecto maximo fatis concedente, in eius locum suffectum fuisse. Vtrunque vero Ximenio parum probante, factum est: vnde simultates inter eos continuo sunt exortæ: quas Aluarus Osorius Dominicanus ordinis sodalis Asturicensis Antistes, qui Ferdinandum primis literis instituebat, Ximenii odio sedulo augebat. Id autem ab Osorii ambitione proficiscebatur, qui ægerrime ferebat, Ximenii sedulitate omnem spem Ferdinando alumno adimi res nouas in Hispania moliendi. Nam vt fama incerta vulgauerat, quotquot in familia Ferdinandi erant, mirum in modum concupiscebant occasionem aliquam offerri, qua ille rerum summa potiretur. Indicio fuerunt Guadalupani (de quibus diximus) libelli, multaque alia temere dicta & facta. Nam motus Pintianos de militibus publicis repellendis, ab Osorio Asturicensi magna ex parte concitatos esse diximus. Delationibus atque calumniis apud Belgas Ximenium onerabat: Maximiliano Imperatori sese per intimos insinuabat; vt male de Ximenio apud eum loquens, irritos optimi viri conatus ficeret. Postremo vt Germana regina Imperatori nuberet curabat: nam ita fore arbitrabatur, vt aut Carolo aduentum differente, Ximenio Maximilianus sufficeretur, aut Germana Maximiliano nupta, suis rebus, suisque consiliis magnum pondus & momentum afferret. Erant quoque nonnulli qui affirmabant, Petrum Nonnium, cæterosque ministros, Ferdinandum puerum in Aragoniam transferre velle, & ibi regem constituere. Nam Aragonios, Ferdinandi catholici memoria, cui puerum vnice charum fuisse cognouerant, facile in eam sententiam pertrahendos esse existimabant. Sed hæc omnia, quantum ad fidem & integritatem Petri Nonnii & Osorii pertinent. vana fuisse, & ab eorum æmulis in vulgus sparsa, multis argumentis compertum habeo. Nonnius enim ob mores inculpatos, & insignem pietatem, ab Isabella regina pueriæ Ferdinandi datus est custos: Osorius vero, et si non admodum sedati ingenii fuit, animi tamen in reges fidelissimi habitus est. Verum cum Nonnius Osorio consiliorum comite, & nonnumquam authore vteretur, qui partim Dominicæ sodalitatis æmulatione, Ximenio Franciscano semper detrahebat, partim quod eum ad supremum fastigium euectum moleste ferebat, factum est, vt vterque Ximenio etiam parum gratus esset. Vnde nec Nonnius cooptationem ad præfecturam Oretanam probauerit, & postea in ordinum militarium ordinem inquirens, illum præfectura pellere tentauerit. Nam Osorii consiliis credens, ab abbe Morimundensi, qui in Gallia Belgica Cisterciensis ordinis magisterium supremum tenet, suæ cooptationis firmitatem in regis Caroli detrimentum quæsiisse arguebatur, & Ximenium in Senatum inquirentem diplomaticis Pontificiis, quæ Cisterciensi ordini sunt concessa, repellere tentauerit. De quibus Nonnius apud Carolum conquestus est, Gonsaluo fratri filio ea de causa ad Belgas misso: qui cum Chebrio homine potentissimo insolentius expostulans, in eius oditum incurrit:

incurrit: quare & tunc repulsus est & deinde à Ferdinandi custodia amotus. Nam ut erat  
 Ximenius rerum callentior, audit et que Caroli aduentum Ferdinandi familiaribus non  
 placere, & Belgarum mores ab illis palam culpari, Ferdinandi vero indelem & ingenium  
 exosculari & prædicare, & Hispaniæ delicias appellare: ne si ipse in bonam partem acci-  
 peret, vulgus mobile erigeretur, operæ pretium magnum esse duxit, eos honesta missio-  
 ne dimittere, & à Ferdinando quam longissime amandare. Scripserat sæpius ad Carolum  
 hac de re, & paucis ante diebus quam è Belgio appelleret, eius literæ Ximenio Cal. Se-  
 ptemb. sunt redditæ, quibus iubebatur, vt Petrus Nonnius Guzmanus, & Aluarus Oso-  
 riis, Gonsalus etiam Guzmanus cubiculo præpositus, & Sanctius Parelius cœconomus,  
 qui omnes Ferdinando erudiendo, & in rebus quæ ad eum pertinere videbantur, curan-  
 dis, egregiam hætenuis nauascent operam, quietam posthac vitam agerent: se enim eo-  
 rum rationem propediem habiturum, vt homines id ætatis otium tenere possent. De re-  
 liquis vero qui in Ferdinandi familia erant, facultas Ximenio dabatur, vt ex dignitate re-  
 gia disponeret. Si hæc Caroli literæ in tempore ad Ximenium peruenissent, magna faci-  
 litate, quæ eius erat prudentia, negotium confecisset. Nam ad se puerum vocare potuisset,  
 & Caroli fratri voluntate blande insinuasset docuisse in magnâ eius vtilitatem futurū esse  
 si Caroli iussis acquiesceret. Sed Veredariorum præfectus, dum de regis in Hispaniam  
 nauigatione suscepta in illis agi putat, & tam exoptati nuncii præmia à singulis regulis &  
 proceribus per ministros corrogat, totos quinq; dies fasciculum literarum domi retinuit.  
 Accessit etiam & secunda remora. Nam cum Ximenius valetudinis gratia in Aquilæ  
 cœnobium secessisset, nihil interesse veredarius putauit, illi redderentur an Adriano qui  
 Arandæ erat, vt ad Ximenium transmitteret. Adrianus vero siue de aduentu Caroli soli-  
 citus, de quo fieri certior cupiebat, siue humano vitio res arcanae cognoscendi, siue po-  
 tius à Ferdinandi familiaribus, qui iam aliquid olfecerant, instigatus, fasciculum soluit,  
 & ex literis quæ ad se erant datae negotium cognouit. Ferdinandus etiam suas legit, & rō  
 omnem inter suos vulgauit, adhuc Ximenio inscio: quæ de causa ex Caroli præscripto  
 nihil potuit à Ximenio confici. Adrianus in errore, aut culpa potius fortasse fuit, qui in-  
 tegrum fasciculum ad Ximenium, vt inscriptio faciendum esse indicabat, reiicere de-  
 buisset, aut tacitus rem integrum seruare cum illo communicandam. Sed fieri potuit, vñ  
 qua erat animi simplicitate, prius literas Ferdinando tradiderit, quam suas legerit, & sero  
 factum doluerit. Ergo postquam Ferdinandi ministri rem intellexerunt, dolore maximo  
 sunt affecti: & quanuis nullum in puer præsidium esse videbant, tamen in re desperata  
 eius etiam opem implorandam putarunt. Quare eius se fidei & tutelæ commendantes,  
 omni prece ab illo efflagitant, vt cum Ximenio enixe contendat, ne ante regis aduentum  
 quicquid moueat: & vt sunt pueri creduli, in eius contemnum & contumeliam, id nego-  
 tii à Ximenio fuisse procuratum persuadere sunt conati. Postridie eius diei Ferdinandus  
 puer Asturicensi Antistite tantum comite, (nam P. Nonnius ægrotabat, & Adrianus er-  
 roris sui causa, negauit se ad Ximenium iturum) & probe suorum oratione instructus, A-  
 quileram ad Ximenium venit, cui Beiarensis dux, aliiq; reguli forte aderant, qui exemplò  
 digressi, locum Ferdinando sine arbitris reliquerunt. Ergo pene lachrymis erumpenti-  
 bus, secum indigne agi cum Ximenio conquestus est, quod antiquis, fidissimis & opti-  
 mis ministris, quem sui amantissimum esse existimabat, sine villa causa priuatetur. Igitur  
 illum per aui Ferdinandi memoriam, per Isabellæ reginæ erga ipsum merita obsecrât, vt  
 tam insignem contumeliam sibi fieri nequaquam sineret, integerimo custode, præcep-  
 tore appositissimo, obsequentibus ministris, coœuis denique quibuscum libenter conui-  
 uebat, per summum dedecus & iniuriam ablatis. Puer peccatus dolore accensum Ximeni-  
 us blando sermone demulcit: omnia magna de eius incremento, deque summo apud fra-  
 trem loco, modo illi pareat pollicetur. De contumelia vero quam tantopere dolebat, sc̄  
 longe aliter sentire, cui propter ætatem & longam rerum experientiam, propterque sum-  
 munum amorem, quo semper eum prosecutus fuerat, æquum erat vt consulenti crederet.  
 Officia in ministros iure quidem deberi, sed cariores esse qui nobis sanguine coniuncti  
 bene monent. Cogitaret ergo, affectu illo quem famulorum verbis conceperat deposito,  
 id à fratre omnī regū potentissimo, eiusq; in primis amatissimo, sine villa exceptione  
 iuberi, cui repugnare nec tutū nec piū erat. Quod si aliquotsum atq; ille fecisset acciperet,  
 offensiq; animi, aut parū grati significationē daret, se & sua in manifestū discrimen addu-  
 cere: & suis familiaribus damna & detrimenta maxima creare, dū parū caute curat cōsu-  
 lere. Nihil Ximenii dictis pueri animus semel persuasis mouebatur. Amorē (inquit) tuum  
 erga me multis in rebus hætenuis sensi, nūc tamen cum maxime mihi opus erat, nescio quo  
 tandem auolauit. Ergo quando tibi propositū est, me & meos omnino perdere, quibus pat-  
 .

ua temporis dilatione succurrere possis , curabo ipse rationem inuenire , qua mei nihil detrimenti capiant . Ximenius iam tunc paulo irritior , asperiori oratione adortus , age quod libuerit Ferdinande : nam ego per caput Caroli tui fratris iuro , quod etiam si Hispania vniuersa aliud niteretur efficere , non posset , quin cras ante solis occasum , regis mandata sint confecta , quibus te ante omnes parere oportet . Quae simulatque à Ximenio dicta sunt Ferdinandus animum virilem ante annos gerens , tanta incessus moderatione , & vultus constantia ab eo Arandam reuersurus digreditur , quanta ætate iam matura potuisset . Ximenius vero pueri & oppidi custodiam , Canabillæ & Spinosæ cohortis Prætorianæ præfectis ad se accersitis , commendat : iubetq ; , ut præsidiis militaribus ex finitimis locis conuocatis , excubias per noctis vigilias agant : omnemq ; exitum Ferdinandi ministris intercludant : ne quod postea ab illis tentatum fuit , cum puero regio aliquo diffugerent , & motus concitarent , iam rege in Hispaniam vela faciente . Ita gnauiter & strenue Spinosæ gessit , vt priusquam Arandam Ferdinandus venisset , quem Canabillas deducebat , custodiæ expeditæ & in præcinctu essent , continuoq ; fuerint suis locis dispositæ , quod mire omnium conatus compressit . Ea nox insomnis & turbulenta Ferdinando , & eius ministris fuit , dum inter se communem fortunam dolent . Vox Ferdinandi à cubiculi ministro , qui prope stabant , grauior quam pro ætate excepta est , Ximenio si in proposito persisteret inimicitias capitales minantis . Cui cum Nonnus , Osorius , & cæteri qui aderant dixissent , quo pacto se id facere cogitaret aduersus hominem potentissimum , & tot præsidiis militaribus munitum : simulabo ( inquit ) me ad matrem reginam proficisci , & iter quo libuerit deflectam , & quem mihi aduersantem ostendero interimam . Ergo cum aula discedendum viderent , syngraphas à Ferdinandò impetrarunt , quibus pollicebatur se illos in familiam reuocaturum , simulac sui iuris factus esset , & maioribus aucturum honoribus . Quod Castillegii indicio , qui ab epistolis Ferdinando erat , Ximenius cum in eius familiam inquireret , cognouit . Ferdinandus ex suorum consilio , regios senatores , & duos pontificis maximi nuntios , & quotquot aderant episcopos ad se vt venirent , rogat . Quibus Caroli regis mandata exponit , sibi quidem , & suis grauia , sed tamen libenter renda . Esse tamen vnum , quod pro ipsorum debito in regiam sobolem officio , ab illis peteret , vt quando suorum familiarium dignitatem & fidem longa experientia nouissent , & quam paratis & obsequentibus semper illis vsus fuisset , ad fratrem regem de ea iniuria & contumelia literas darent . Quod cum id se facturos respondissent , non est illos amplius moratus . Ximenius per Baracaldum cum Adriano egit , vt ad se P. Nonnium , & Osorium episcopum , & Gonsaluum Guzmanum adduceret : velle enim consilii sui ratione illis exponere , & querelis , quas de eo iactabant , satisfacere . Ergo post expostulationes factas , & Ximenii responsiones , ad hoc tandem ventum est , vt se dicerent quod imperatum esset facturos : orare tamen vt authoritate sua & gratia , qua multum apud Carolum valebat , eorum iacturam & damna curaret resarcienda . Ximenius qui eorum animos explorabat , vt si minus iussa comprobarent , Arandam redire omnino vetarentur , postquam obsequentes est expertus , reuertendi locus est datus , resq ; suas eo die componendi . Igitur ab alumno ægre diuulsi , antesolem occidentem Nonnus , Osorius , & Gonsalus Aranda discedunt . Niid fecissent , aut Nonnus quo minus id facerent impedimento fuisset , decreuerat Ximenius eum ad Oretanum præsidium mittere , vbi in arcta custodia teneretur , donec Carolus in Hispaniam appelleret . Ferdinandus Aquilario Marchioni , cui multum Ximenius deferebat , interea traditur : nam Alphonsus Tellezius cuius curæ cōmendari à rege iubebatur , Arandæ non aderat . Tres de tringa veteres ministri ex familia Ferdinandi sunt amoti , in quorum locum inferioris conditionis homines , ne animos efferrent , consulo assumpti sunt . Seuerum Aquilam equestri rei præpositum , & Moschiosum puerum Altamiræ vicecomitem dimissos fuisse , mirum fuit : nam ille Sanctii Aquilæ & Isabelæ Caraualalæ filius matris causa retinendus credebatur , quæ Ferdinandum omni diligentia & cura nutriuerat , tantaq ; fide de reuerentia Carolo fratri exhibenda apud puerum assidue agebat , vt Nonnus & Osorius inciuitus nonnunquam cuin illa egerint , exploratricem appellando , quam pollicitis Ximenius submitteret . De Moschofo vero , parentis optimi viri & fortissimi causa , qui in Africanis expeditionibus obierat , omnia fausta & prospera sperari poterant , præsertim illa in ætate & præclara indole . Erat Moschosus liberali facie , corpore agili & compacto , & ingenio ad res omnes tractandas dextertimo , ob quas dotes semper Ferdinando fuit carissimus . Nam siue artem armorum ludicram exerceret , siue serii quid tractaret , siue ad literarū studium cogitationē conuerteret , hic operam similem daturus præsto erat . Idcirco hunc à se diuelli impotenter Ferdinandus doluit : atq ; ob hoc multum sibi Carolum debere affirmabat . Cogitauerat Ximenius de Moschofo

Moschos non amouendo, & proculdubio fecisset, ni illi Orosius fuisset patruus. Hinc facile cognosci potest, quā seuerus ac pene durus Ximenius fuerit, qui puerō bene nato amabilisq; & hominis de se benemeriti filio parci noluerit, ne apud Ferdinandum villa Osorii soboles relinqueretur. Ob rem tam celeriter cōfēctam omnes admiratio inuasit, & religiose curabant officium facere, vt a Ximenio probarentur. Alphonsus Castillegius in familia Ferdinādi mansit, nam homo misis & poesi deditus innocentia suam præ se ferebat. Belgæ tamen nonnihil seditiones subuerit, vt ad Marchionem Asturicensem, & ad Lemoforum comitem, Nonnii & Osorii propinquos, literas Carolus daret, effecerunt: quos hortabatur, ne villo modo Ximenii actis impedimento essent. Sed Ximenius suæ virtutis & potentiae conscius, ex authoritate regia non se facturum putauit, si eas literas Asturicensi & Lemosio redderet: atq; hoc ipsum s̄epe multis in reb. fecit, parū curās quid Belgæ trepidarent. Seniores quos vsus ac rerum prudentia edocuerat, rerumq; euentus attētius contemplabantur, Ximenii factum, vt quieti reipublicæ necessarium, maxime laudabāt. Patilò ante quām hæc gesta sunt, Antonius Rogius Granatensis antistes, qui regio senatui præfectus erat, ad Carolum scriperat, Ximenium ambitione cuncta moderandi, quid Ferdinandi familiares agerent præsensisse, & cum eis quoq; fœdus fecisse, vt in omnem euentum puerum sibi magis deuinciret. At Ximenius hæc quæ diximus de familia Ferdinandi tacite marchinabatur. Aquilarius cuius vicariæ curæ Ferdinandus commissus fuerat, ita probe seueritatem cum comitate miscens, puerum tractauit, vt ipse per literas sit Carolū deprecatus, ne Aquilarius, donec ipse in Hispaniam veniat, quod propediem futurum sperabatur, à sua familia amoueretur. Ximenius etiam literis suis Aquilarii fidem & industriam mirifice commendauit: & vix alium inueniri posse dixit, qui in corruptius & obsequiūs quicquid ipse præscribat exequatur. Nam Alphonsus Tellezius, quem ad id munus obeundum designauerat, omnia ex Ascalonii volūtate, cui cognatus erat, facturus videbatur. Didacus autem Gueuara, de quo præficiendo consultabatur, Velasco comeſtabili admodū deuinctus erat. Quod si incōstantiæ notā veteretur, posse Chebriū de regis voluntate, illius muneris curas partiri, & Aquilariu cubiculo præficere, Tellezium verò vniuersitati familiæ. Quanquā nullam leuitatis animaduersiōne incurreret, si donec ipse adsit, Aquilarius in munere cœpto perseveret, idq; ita reperio esse factum. Posthęc, cū varia valetudine apud Aquilerā Ximenius esset vsus, sanie, quam diximus, copiosius ex auribus dimanante, visceribusq; ipsis grauius affectis, quorum in homine sene difficilis semper curatio fuit, magis de eius salute timere familiares & amici cœperunt. Fama igitur crebra iactauerat, Ximenium morbo lethali laborantē, in cœnobio Franciscano abditum, reip. curā prorsus abiēcisse. Quod vt in Bætica vulgatū fuit, indeq; in Africam delatum, Petrus Gironius Assyndonenses continuo inuadit. Mauri cuncta eo ægrotante negligentius curari existimantes, oram maritimam Granatæ proximam infestare audacter tentauerunt. Turcæ, qui nuper Algerium occupaverāt, Horuscio Barbarossa duce, Oranum Ximenii decus, & trophæum, magna vi militū adoriri destinantes, ipsam propediem inuasuri nunciabantur. At Ximenius qui animi viore, quantumvis corpore debilitato esset, nunquam destituebatur: ad Gironii motum cōprimendū qui mille & quingentis peditibus ex agro Vrsaonensi congregatis, apud Moronum alias copias conuocabat, Quignonio Lunæ comiti, Hispalis præfecto, reip. præsidis accersitis, iustū exercitū cogat iubet, eoq; in Gironiū feratur, donec aut captū ad se viuum perducat, aut interimat. Id à Quignonio præclarè curatum est. Anna Aragonia Assyndonensis reguli vxor, gemmas & lapillos, omnemque mundum muliebrem, ne reipublicæ ærarium exhauriretur, Quignonio liberaliter obtulit. At Gironius pater intelligēs Villafratensem culpam dentio suscitari, cuius nondum veniam à rege consecutus fuerat, & publica præconis voce eius bona fisco regio addici, & adhuc Ximeniū spirare & valere, supplices literas ad eum mittit, quibus filii ertorem & peccatum deprecatur: & se protinus operam daturum promittit, vt ab armis discedat. Quod quanuis cōtinuò factū fuerit, Ximenius tamen graibus interim literis Carolū hortatur, vt digno aliquo exemplo tantamq; assiduam contumaciam eorum plecat. Ex Mauris qui ad tertcentum in terram defēdentes prædas ex maritimis oppidulis agebant, quinquaginta duntaxat elapsi, ceteri capti aut occisi sunt. Aduentum Turcarum aduersus Oranum, cùm Carolus quoq; dum vela facit, per nauticos aliquot prædones cognouisset, de ea re simulatque in Hispaniam appulit, certiorem Ximenium facit, & vt Orano primo quoque tempore subueniendum curet imperat: nihil enim grauius eo tempore posse accidere, quām si ille in Africana regna aditus aliquo casu aut negligentia occluderetur. Se enim assidue animo voluere, quoniam pacto nomen Christianum dilataret, & Hispaniæ littora à piratis tutaretur. Ad quæ confienda per accommodam stationem Oranum esse: ob cuius expugnationem, & se, &

remp. multū illi debere fatebatur. Lætus eas literas Ximenius accepit, eiusque proposito laudato, reges eos, si historias repeatat, beatissimè in Hispania vixisse ait, qui ad eum modum religionem adaugere contendissent. Cæterū de Orano, tanquam de propria sollicitum prouincia, per illiusvrbis custodes quotidie admoneri, & omnia necessaria prouidisse. Sed quoniam magnum hostium numerum esse audierant, cui milites nostri pares non es-  
 sent, Didaco Fernando Comario marchioni, Orani præfecto præcepisse ut se intra mœnia cum suis contineret: satisque agi è se existimaret, si eam fortiter & strenue tutaretur. Postea cognitum fuit, Numidas Turcarum immanitatem & potentiam formidantes, eos Oranū venientes adortos, & conserta pugna fudisse, nostros verò solicitudine & cura liberasse.  
 Carolus septimo idus Sept. cunctis ferme aulicis inuitis, quibus eo tempore non satis tuta nauigatio videbatur, suo tantummodo consilio usus, oram è Belgio soluerat: & ad Tazones Asturiæ oppidum, horridis cautib. vallatum, & importuofum, quod nemo vñquam existimauisset, quinto Cal. Oct. cogentibus ventis classem appulit. Est non longè oppidum Villauicosa appellatum, quò Carolus corpus è maris æstu curaturus, naureamq; illam, quam ex molesta & immodica iactatione comparauerat, depositurus se contulit. Carolum Leonora soror, quæ primū Emanuelli Lusitanorū regi, deinde Francisco Gallorū nupsit, Chebrius inter cubiculi ministros princeps, Laurentius Gorreboius, Veranius familiae regiae præfectus, Seluagius magnus Cácellarius, Carolus Lanios equestris rei curator, Laxaus q; in Aranda iā ad illū venerat, sequebatur, & è nostris permulti, qui in Belgijū profecti fuerāt, quos superius recēsumus. Aiunt eorū montiū incolas insuetā classem littora sua occupasse cernentes, dum Gallicas insidias, hostileve aliquas incursions timent, fœminas, pueros, & senes in montana loca se posuisse, ipsosque telis assumptis, in mari proximos colles ad vim repellendum paratos aduenisse: Carolum eo spectaculo lètatum Hispaniam è regia naui proclaimari, & vexilla explicari & erigi iussisse, castella simul & leones ostentantia, regū iā olim Hispanorum insignia. Armis proiectis regem suum in genua procumbentes Astures salutant, regemque Villamuicosam ouantes deducunt, quam Villam dichosam, hoc est, fortunatā, vocari voluerunt, satis apposita literarū permutatione. Velascus comestabilis, qui amplissimam in eo tractu regionem possidet, simulatque ad ea loca regem accessisse, cognouit, rebus omnibus necessariis oppidula instruit: annonamq; quantum terra inculta patiebatur sine ullo pretio omnibus suppeditari iussit. Ipse equitibus septingentis comitatus, qui omnes familiares, clientes, & propinqui eius censebantur, regem reuerenter salutatus venit: & protinus est reuersus, ne tanto apparatu commeatum & hospitia angustiora faceret. Nemini postea ex proceribus aut regulis, ea in loca adire concessum fuit, donec rex ex illis montium angustiis explicatus, in latiorem regionem perueniret. Ximenius quem morbus ingrauescens per eos dies immodicè afflixerat, exoptato nuntio exhilaratus longè valentius habere coepit: atque ita pristinæ saluti nonnihil restitutus, qui paulò ante lecto decumbebat, 1111. non. Oct. qui dies diuo Francisco dicatus est, sacra ad aram astantis celebravit, & communī mensæ, quam refectorium vocant, cum sodalibus Franciscanis accubuit. Sed hæc vt Carolo perquam grata erant, qui animo vere regio, Ximenio defetam multipliciter benemerito multum deferebat, & crebris nunciis Abulensem hortabatur, vt in eo recreando & restituendo accuratè, vt faciebat, occuparetur: ita aliquot ex Belgis molestissima fuerunt, qui illum omnino sublatum à medio cupiebant, priusquam in colloquium cū Carolo veniret. Videbant, hominem maximæ authoritatis, & ob res gestas summo apud regem in pretio habitum, omnia ex sua voluntate conjecturum: ipsosq; statim, quòd palam Ximenius parum considerate sapientiæ inter familiares dixerat, & in notis arcaniis ad Carolum scribebas subindicauerat, à regiis consiliis esse deturbandos. Igitur ex Parræ & languensis medicorum relatione, à quibus in singulas horas de eius salute certiores siebant, in quot dies spiritum vitalem producere posset intelligentes, Caroli itinera, dedita opera remorabatur, id vnum sollicite curantes, vt ille priùs viuere desineret, quam cum rege cogrederetur. Non cessabat ille interea per crebras literas regem admonere, quid in singulis rebus facere, quo pacto in obuiis excipiendis p dignitate segerere deberet. Nam cū Belgarum consuetudo & conuictus simplicior multò, quam Hispanorum sit, vt ad nostros mores vultū simul & sermonē cōponeret, suadebat. Adiecit præterea, se summopere curasse, vt non mediocris pecuniæ summa ad Bugiæ custodem mitteretur, quam à Simone Ruizio publicano obtinuerat, datis ad Alphonsum Sanctum Valentimum quæstorem literis, vt primo quoq; tempore ea summa Bugiā deferretur. Nihil enim libentiū agere, quam ea Africana præsidia communire. & militibus illic collocatis stipendia debita persoluere. Vehementer quoque probare se ait, quòd ex Panormitanis multis Neapolitanum exercitum sustinere rex constituisset. Siculos enim illos re atrocissima & inaudita edita, qui

ta, qui Vgonē Panormo eiientes, cunctos senatores trucidarūt, omnē pœnam commeti-  
 tos esse. Imò verò ita necessariò faciendum, modò classis aduersus Mauros instruenda esset  
 quemadmodum sibi per literas significauerat. alioqui ærarium nostrum, tot impensis ne-  
 quaquam suffecturum, quanuis esset probè per ipsum curatum, vt ditissimum haberetur.  
 De cuius incrementis, deque summa vigilantia, quam ne regius census dissiparetur adhi-  
 buisset, rationem se coram redditurum: ob quam gratias non vulgares se reportaturum esse  
 existimabat: nullas tamen maiores optare, quām vt eius animum, mentemque incorruptā  
 cognoscat, integrumque fidem suam, quam semper in munere commisso præstisset: & illi  
 rem publicam in colum de manu (vt aiunt) in manum traderet. Atquē ita pro laboribus  
 in ea haetenus moderanda exhaustis, id solūm petere, vt si quid ipsum deinceps admone-  
 ret, ab eo homine proficisci intelligeret, qui paulò ante cunctorum mortalium inuidiam e-  
 ius duntaxat causa sustinuisse. Mira animi propensione hæc omnia à rege auscultabantur,  
 & omnia ex eius consilio gesturus proculdubio videbatur. Belgæ id diutè accipientes, in  
 proposito persistebat, ne vñquam congrederentur: atque ita Villauiciosa profecti, sanctum  
 Vincentium oppidum, cui Barquera cognomen est, deueniunt, vbi multos dies immorantur:  
 & quò reguli, cæteraque Hispana nobilitas minus de rege adeundo cogitarent (nam &  
 illos quoque verebantur, ne vt primi apud Carolum essent laborarent) in Aragoniam prius,  
 deinde in Castellam eundum esse, vulgo iactant. Id ne faceret Ximenius motuit, addens vt  
 nihil de rebus publicis aut priuatis cōstituat, donec ab ipso de regnorum statu, & ætarii fa-  
 cultate doceatur: sed interim omnia negotia in aliud tempus reiiciat. Ferdinandum fratre  
 in Germaniam ad Maximilianum imperatorem vt transmitteret, consulebat: ea tamē pru-  
 dentia conficiendum, vt omnes intelligerent in Ferdinandi rem id esse, eiusque referre  
 maxime. Sibi autem commodissimam rationem videri, si ex Maximiliani aui patrimonio  
 bonam partem, aut totam illi cederet, quandoquidem ipsi tam amplissima regna Dei opt.  
 max. consilio & prouidentia obuenissent. Post Ximenii mortē hoc Carolum fecisse certū  
 est: neque id tam Belgarum consilio, quemadmodum multos credidisse video, quam  
 Ximenii monitu. Nam cùm Carolus aqua manibus lauandis posceret, curasse Che-  
 brium aiūt, vt id ministerii Ferdinādus præstaret, quasi inferiorē fortunā sic melius latus:  
 Carolus verò, quòd pius frater ad id se demitteret, doluisse: cuius hæc tunc vox audita est:  
 Quām bene Ximenius admonebat. Protinusque illum Verani principis curæ, qui palatiū  
 præfetus erat, commendatum: ad auum in Germaniam mitterendum decreuisse, omni stu-  
 dio id Chebrio curante, æmulum amandandi causa, vt tunc pertulatum fuit. Ergo dum  
 Aquileræ valetudinem Ximenius curat, testamenti etiam sui tabulas, quas anno eius  
 seculi cum duodecimo tum quatuordecimo Compluti condiderat, & hoc ipso anno  
 antequam Arandam veniret sub mensem Iulium Madriti recognouerat, mira sedulitate  
 euoluit. Et animæ suæ rebus consulens, quasi vitæ actæ iamiam Christo Deo rationem redi-  
 diturus, omnia attentè inspectabat: & si quid minus recte factum videretur, id emendari &  
 corrigi studebat. Ob vnum tamen Deo immortali semper gratias se egisse dicebat, quòd  
 in tanta rerum magnarum & variatum mole, neminem danno aut iniuria affecisset: sed  
 vnicuique, citra vllum amoris aut odii affectū, suum ius tribuendum curasset. Antonius Ro-  
 gius Granatensis antistes, senatus regii præfetus, qui Ximenii rebus semper iniquus fuit,  
 tunc ei incommodandi occasionem nactus, omnes ferme senatores regios solicitavit, vt  
 Ximenio inconsulto Aranda regem salutaturi discederent. Et ne speciosæ causæ defuisse  
 viderentur, Ferdinandum puerum secum deduxisset, ni Aquilarius tepugnasset. Præsensit  
 Ximenius quid illi molirentur, & binas Caroli literas ad Antonium Rogium misit,  
 quibus cauebatur, ne ipse aut senatores supremit à Ximenio digredierentur. Non ta-  
 men ob hoc ab incepto cessauit Rogius, tempus iam non esse iactans, vt cuiusquam  
 nutum expectaret. Senatus quæstorius, cæterique aulæ Hispanæ ministri in Xi-  
 menii comitatu iuxta Caroli præscriptum manserunt. Postquam id Ximenius resciuit,  
 literas ad regem dedit, quibus de Antonii Rogii & senatorum profectione conque-  
 ritur, qui regiis mandatis neglectis, se remque publicam, & negotia deseruisset. Quòd  
 si ante regis aduentum tale quid designauissent, ita se in eos animaduersurum fuisse, vt tri-  
 duo nouum senatum, & eius nouum præfectum deligeret: illos verò per summam ignomi-  
 niā gradu senatorio deiectos, in ordinem redigesisset. Quamobrem illos statim indigna-  
 bundus Arandam redire iubeat, vt qua par erat dignitate, omnes simul illum adeant:  
 Aegrè id factum Carolus tulit, Rogium & Senatores acriter per literas increpauit, & vt  
 ad Ximenium reuertantur imperat. Iam prope Pallantiam venerant, quando Caroli  
 literis suscepitis eadem via redeundum sibi esse intellexerunt. Omnia potius perpeti  
 maluissent, quam rursus ad Ximenii conspectum reuerti, quem adeò temere offendissent.

Itaque facti culpam deprecantes, Almeriam & Polancum senatores ad eum legatos mittunt, qui ne rursus idem iter relegendum esset cum tot vxorum & familiae impedimentis, vt illic vbi aderant, aut Pallantiæ saltem expectare concederet, obsecrarent, donec aliud à rege diceretur. Humaniter hi à Ximenio accepti sunt, & nulla animi offensi significatione data, omnem culpam, quæcumque illa esset, remittere se ait. Cæterum de Arandam non redendo verbum nullum esse faciendum: regiis enim mandatis aliquid detrahere, nemini unquam ex subditis licuisse. Itaque Arandam Rogio irascentes sunt reuersi, qui itineris suasor extiterat. Longè aliter à regulis factum, qui ad officiorum obseruantiam ex antiqua nobilitate propensiores, sese comites Ximenio obtulerunt. Anricus Almirantus legatum misit, obtestans vt se comite in primum Caroli regis conspectum venire dignaretur. Ximenius 10 gratias se illi agere pro tanto officio respondit: Aniquesiorum tamen familiam, cuius ipse princeps erat, adeò nobilem & illustrem esse, vt nefas videri posset, hac occasione cuiquam comitem accedere. Iret ergo bonis auibus regi obuiam, sua gente & familia stipatus: vt Belgæ intelligerent, quantum illis nostri proceres antestarent. Haud absimili eloquio complures alios regulos & proceres, qui se illi obtulerant, dimisit. Hyems interea, quæ in regione illa multò maturius quam in Cismontana aduentare solet, rigore cœpit: & Ximenius ex coenobii Aquilerani nimia humiditate graue damnum sentire. Decreuit ergo Roam, Siruelani comitis oppidum, vbi prima literarum rudimenta didicerat, tanquam in terram patriam proficisci, & illuc senatu etiam regium ducere. Ergo socii, chirothecæ, & manicæ pretiosis pellibus, quas Zebellinas vocant, suffultaæ erant, ipse etiam villoso vestibus bene conctetus, 10 lecticam ingressus est. Erat ad pedes prunarium argenteum, accensis iuniperi carbonibus, manibus vero argenteum orbem ferro candenti inclusò gestabat. Ergo cum Roam approxinquaret, secùq; Ferdinandū puerum adduceret, comes Siruelanus illi obuiam fit: & se vereri ait, ne quoniam olim Roa municipium, Infantum patrimonium fuisset (sic nostri regum filios appellant) vnde & eiusmodi ditionis oppida Infantatus quoque vocarentur, Ferdinandus arcem in suum detrimentum occuparet: nam leuioribus occasionib. propria possessione dominos saepe deturbatos fuisset. Omnia salua se viuo speraret, Ximenius iussit, quo dicto ille conquieuit. Sedecim autem milibus passuum remotior, est à Pintia Aranda quam Roa. Facta est hæc migratio XVI. Cal. Nou. tanta celeritate, vel quia pestis grassari Arandæ cœperat vt Abulensis scribit, vel quod Roa eo in loco situm est, vt facile Pintiam aut Segobiæ inde possetiri: nam in alterutrum propediem migrandum esse non dubitabatur. Sed Ximenius Segobiæ maluisset, vnde in suam Carpetaniam facile transire posset. Certè sub extremum Sept. cum meliuscule valere sibi est visus, Pintiam laudauit vt splendidam & capacem urbem & è pestilentia fama liberam, & regio comitatui aptissimam, postea tamen cum à sancto Vincentio oppido Aquilatium Campense Carolus venisset, vbi multi ex aulicis Hispanis illum, vt iussi erant, præstolabantur: Ximenius literas ad eum XI. Calend. Novemb. dat, quibus ne Pintiam deueniat iam pestilentia morbo laborantem deterret: se enim eo die nuntium accepisse, nō ita pridem quatuor homines Pintiaz peste obiisse: totamque finitimam regionem eo morbo grauiter infectam esse. Quare Segouiam diuertendum esse videbatur, urbem Pintia non minorem, eique retum abundantia parem: vbi de negotiis agere, & locum conuentibus agendis diligere, & transvectionem militum publicorum contemplari posset, quod se Pintiaz facturum proposuerat: nam stationibus æquo interuallo ab utroque oppido distantibus, in hybernis legiones erat. Quanquam de conuentibus statim habendis sibi quidem parum probari: nam populi rebus anteactis commoti, ad res nouas petendas animati erant. Quare plurimum referre, vt aliquandiu conquiesceret, donec reipublicæ negotiis sine tumultu compositis, regis præsentiam atque imperium vererentur. Esse enim vehementer curandum, vt à principio per summam reuerentiam reges à subditis excipientur. Hoc prudentissimum consilium neglectum fuit: quapropter patum absuit, quin respub. euersa fuerit. Dum de loco designando tractabant, commodum Roam legati Toletani aduenerunt, qui ab urbe sua ad regem mittebantur de aduentu gratulaturi, & eū supplicibus verbis oraturi, vt urbem Hispaniaz amplissimam primis conuentibus celebrandis optare dignaretur. Nam præter eius celebritatem, & aeris salubritatem qua semper fruiatur, opportunissimo in loco sitam esse, vt vndique ab Hispaniaz ciuitatibus, cuius umbilicus videri potest, commodè adeatur. Ximenius, qui iam tum Toletanorum fidem, & urbis naturam, situm & pulchritudinem commendauerat, Regem ita se posse ad Cismontanos deducere sperans, senatus Toletani factum vehementer collaudat: atq; eis ad Didacum Lupum Aialam XV. Calend. Nouemb. literas dedit, quibus ostendit, quam illi cara urbs Toletum esset: iubet enim vt legatis se comitè adiungat, & eorum causam Ximenii nomine regi commendet: ciuium integritatem, salubres loci auras, annonæ vertatatem edisserat. Benignè

gne & comiter legati Toletani à rege sunt accepti: veruntamen Belgis parum id probantibus, qui littori proximi esse cupiebant, & in Hispaniae interiora penetrare formidabant, Pintia tandem commodior visa est. Didacus Lupus per hos legatos Ximenium consuluit an Roam iret, de rebus singulis copiosius ipsum edoceretur. Id ne faciat Ximenius iubet, pedem ve à curia discedat, donec aut ipse aliū substituat (nā principem aliquem virum se propediem missurum cogitabat) aut coram, quod maller, Carolum conueniat: nam sibi vires firmiores iam esse: vt itineri dare se possit. Ergo Carolus priusquam Pintiam veniret, Turdesillas matrem salutaturus ire decreuit. Iā itineri accinctus ad Ferdinandū fratrem, Ximenium senatumq; regium, & ad omnes regulos literas dat, quibus multis verbis suū consilium ro de matre regina visenda, declarat. Nam ea de causa, relicto Belgio in quo natus atq; educatus fuerat, in Hispaniam potissimum venisse se dicebat, vt aliqua curarum & solicitudinis parte matrem leuaret: ad cuius nutum semper se accommodare certus erat. Collaudauit Ximenius animi pietatem in parentem: cæterū tam multis de ea re egisse non placebat. Nam si re integra sententiam fuisse rogatus: id ne faceret vehementer hortatus fuisset. Neque enim tam id scribere rex videbatur, quod factum suum probari vellet, quā metu aliquo impulsus, ne quid negotii faceceretur, matre ad reipublicæ curam capiendam, peruerso malorum hominum consilio, instigata. Nam multa per reges agenda esse censebat, quorum ratio reddi non deberet. Incidere enim persæpe negotia quorum ea natura est, vt prius sint confiencia quā euulganda. Interea Pintiæ hospitia signabantur: vbi quod animū 20 Ximenii offenderet, per quatuoruiros Belgas hospitorum præfectos, factum fuit. Bernardini iurisperiti domum qui hospitium Ximenii curabant à Belgis poscebāt, vt salubre & Ximenii valetudini peraccommodā. Illi verò Germanæ reginæ esse designatā contendunt, quā Ximenio præferri par erat. Hoc cùm Ximenii ministri ad Ascalonium, qui Pintiæ aderat, & multis à Ximenio beneficiis affectus, eius amicitiam perpetuò coluerat detulissent, cum Teneramunda quatuoruiro, quo cum sibi à Philippi regis tempore familiaritas intercesserat, multa de Ximenii amplitudine & meritis differuit: cui nō modo in hospitio deligendo, sed in omnibus apud regem officiis, primæ partes iure deberentur. Non esse igitur, cur dominum quam eius procuratores postulabant, negaret: ni fortè regium dari palatium mallet, quod ille paulo antè regis vicarius biennium obtinuerat. Omnia modesta Teneramunda 30 respondet, sibiq; hominis clarissimi dignitatem iamdiu cognitam: cæterū regias ad se literas fuisse perlatas, quib. vt Bernardini ædes Germanæ reginæ relinquere, iubebatur. Ascalonius hæc singula ad Abulensem scripsit: & se à Bernardino eiusq; vxore accepisse ait, Al-bani ducis opera id esse factum. Nō nihil eo nūtio Ximenius commouetur, quod ea de re tractari indignum sua autoritate iudicaret: sed tandem illi domus Bernardini data in hospitiū fuit. Sed dum familiaribus quoq; hospitia petuntur, in vicum Pintiæ proximum ire iubētur, quod perinquo animo Ximenius tulit. Nam neque sub regibus catholicis, aut sub Philippo Caroli patre quando non modo principibus, sed militum cohortibus regia curia erat referta, tale aliquid cum familia sua actum fuisse dicebat. Nunc verò post tot merita, post tot labores pro Carolo exhaustos, contumeliā sibi pro beneficio reponi, indignissimū 40 esse arbitrabatur. Sed qua erat prudentia & grauitate, omnem animi molestiam compri-mebat: & rege aulicisque ignaris, id fieri per ministros rerum nostrarum inscios dicebat. Aulici Belgæ, quibus permolestum & graue erat, quicquid in gratiam Ximenii siebat, nihilq; audius cupiebant, quam omnem eius autoritatem imminutam esse, cum nimia eius viuacitate offenderentur, repulsam illi struunt: nempe validissimum mentis quantumlibet constantis arietem. Mota Paxaugustanus episcopus, in Chebrii patroni gratiam & sua priuatum causa, vt Carauajalus prodit, incitatus, author pessimī consilii fuit: qui vt rex ad hunc modum ad Ximenium scribat suadet. Se Turdesillas iter instituere: curaret igitur vt ad Moiados antistitis Segouiensis oppidum, occurreret: vnde postquam de reipub. rebus in commune egissent, consiliumque ab eo de priuatis rebus componendis, tota- 50 que familia constituenda sumpsisset, domum quieti suæ consulturus discederet. Sat enim laborum pro rep. subiisse: quorum præmia, quando nemo mortalis dignè tribuere valerer, a Deo opt. max. expectaret: se verò quandiu viuere daretur, memorem futurum, & ea obseruantia prosecuturum, qua liberi bene instituti optimos parentes prosequi consueuerunt. His literis à Carolo acceptis, Ximenius se planè reiici repelliq; sentiens, febri lethali (vt ferunt) correptus fuit. Abulensis vero, qui de hac re ad Lupū scribit, pridie quā hæ literæ Ximenio redditæ essent, sub vesperā ea febri laborasse ait: atq; idcirco Caroli literas graui- ter iam ægrotanti datas non esse, sed ad senatum regium missas. Adriano verò qui eas li- teras miserat, vī. idus Nouembri rescripsisse, quo in statu Ximenius esset: nam eo ipso

die quo literas receperat, decimam octauam horam à febris incremēto numerari, & medicos affirmare vigesima quarta è vita migraturum: quare certiorē regē faceret, nam fortasse hoc accepto nuncio, propositū de Moradis petendis erat mutaturus. Ut tigitur se mori sensit, vita sanctissimè actæ præclara documēta dedit. Nā quanuis corpore nimis afflito & debili, animo tamen, & iudicio firmo, de rerum humanarum instabilitate & vanitate, de immensa Dei misericordia, apud suos breui quodam sermone piè & doctè differuit. Deinde Christi crucifixi signum complexus, veniam à Deo multis lachrymis efflagitauit, vocās interim in suum patrocinium Diuos omnes, sed ante alias Deiparam virginem Mariam, Michaelem archangelum, Petrum & Paulum apostolorum principes, & Iacobum Hispaniarum patronum, diuum etiam Franciscum, sub cuius instituto vixerat, & Toletanæ ecclesiæ præsides Eugenium & Ildephonsum. Quæ tanta ab illo pietate, atque animi Christiani affectu dicebantur, vt circumstantes amici lachrymas tenere non potuerint. Ergo postquam religionis sacra omnia absoluit, vt oleo sancto perungeretur postulauit: & astantibus Petro Lerma, Antonio Roderico, Fontano Archidiacono, & Balbasio, qui morientem piis precibus iuabant, & fidei constantiam augebant, subinde versus illos Dauidis repetens, In te domine sperauit, antistes sanctissimus & amplissimus, qualem posteritas vix est habitura, animam efflauit v. idus Nouemb. die Dominico, anno sui pontificatus xxii. ætatis verò circiter octogesimo: Cunctis qui aderāt mœstissimis, fletus ingens obortus est, qualem patronum, qualemq; dominum amitterent in clamantibus. Vox moribundi audita est, qua se libenter quidem mori dicebat, quanquam eius morte rebus Hispaniæ incomparabilis iactura parabatur. Paulò antequam moreretur, epistolam dictare ad Carolum cœperat, qua illi suam Academiam, & cœnobia à se cōstructa & dotata, familiamq; suam suppliciter commendabat, sed digitorum rigido stupore subscribere non valuit, Aderant in vltiori cubiculo multi ex aulicis dum animam Ximenius ageret, inter quos Vadillus & Collazus militares tribuni, qui Ximenii aulam frequentabant, simulatque obiisse vulgatum fuit, argentea vasa, quæ in abaco de more permulta erant, cæteramque ad manum expositam supellecilem deprædari adgressi sunt: idque omnino cōfecissent, nisi Coronellus Spinoza, aliquotque ex procuribus prodeentes, & præsertim Alphonsus Arellanus Aquilarii comes qui cognomentū ab obtorto capite habuit, eos deterruisset. E cubiculo in quo decubuerat, in proximum triclinium Ximenii cadauer productum fuit, & pontificis vestibus indutum, in sella vt viuēs solebat est locatum. Posthac lecto pretiosis stragulis ornato, & conopeo pendentī intecto, componitur. Continuo per Roenses vicos publ. vox præconis audiri cœpit, qua & Ximenii mors denuntiabatur, & omnes ad deosculandas manus de more inuitabātur, proposita errorū indulgentia. Magnus hominū concursus factus est, non eorum solū qui Roæ aderāt, sed ex finitimis circū circa oppidis. Conditū fuit cadauer vnguentis & aromatibus, & multo in primis sale, vt Complutū asportari posset, vbi se humari iussit. Sed dum iter adornatur, in Roense templum transfertur: vbi quotannis v. idus Nouembris illi parentatur. Eo ipso die Cisnerus vir iurisperitia & prudentia non vulgari præditus, quem Ximenius semper magni fecerat, & omnium cōsiliorum participē habuerat, diē suū obiit: cuius cadauer Cisneros municipium, ad paterna monumenta deportatum est. Qui Ximenium Complutum 40 afferebat, imbris assiduis toto itinere vehemēter impediti, qua nocte vicum Roblegordum deuentum est, largioribus delapsis aquis magno in discrimine fuerunt. Turrilacuna, Ximenii natale solum, altero die eos excepit: vbi mcerens patria tanto alumno orbata, iustissimo dolore squalens & lugens, per agros effunditur? & ad virginis Deiparæ cœnobium, quod ipse sumptuosum & splendidum condiderat, innumeris facibus comitatur. Ibi iustis cœnobii sodales parentationibus exolutis, postridie Complutū delatum est. Academia temporarium facellū, vndiq; gradib. funebri veste stratis cinctum, & in eo cenotaphium ad portam Burgensem constituerat. Ut autem proxime aduentare cognitum est, iuuentus studiosa, cœnobitarum fratrū collegia, ordines literarii, omnes mœstissimi, postremò Michael Carrascus iterum redor patribus theologis, collegisque suis comitatus, obuiam ad facellū processerunt. Altera ex parte, Abbas & capitulum sanctorum Iusti & Pastoris, aduenere, funesta etiam & atrata Ximenii familia paulò post accessit. Tantis per eo in loco constituerunt, dum preces aliquot funebres, & carmina expiādis manibus accommoda, tam capituli quā collegii sacerdotes, mœstis rythmis incinuerunt. Contentio illico inter canonicos & collegas exoritur, dum vtriq; Ximenii cadauer ad suum fanū deducere cupiunt. Eam ægrè Abulensis composuit, qui prolatis testamenti tabulis D. Ildephonsi ad collegium Complutense ædem suæ sepulturæ Ximenium diligere recitans, tandem capitulo vt desisteret persuasit. Populum verò Complutensem obuiam progressum & multa mœroris signa dedisse certum est, quanuis alii contrarium asseruerint. Nam & duumuiris, & decurionibus

nibus pullas vestes ex publica pecunia datas fuisse satis constat. Certè ea extabant Ximenii merita in ciues Complutenses, vt sine piaculo secus facere non potuissent. Ilud tamen disimulari non potest, villas quas ad fœnicularium agrum, non longè à Compluto, in aruis Benedicto nepoti veſtigalibus, in uitis Complutensibus Ximenius extruxerat, ex templo ab eis dirutas fuisse. Illephonsi collegæ Cardenam canonicum Toletanum rationibus collegii præpositum, & communes ædes cum eis incolentem, Ximenio defuncto statim eiecerunt: nonnullaque alia, quæ magis eius voluntate, quam vlliū decreti virtute siebant, abolerere neutiquam sunt veriti. Multum à Ximenii voluntate Abulensis testamenti executor in parentalibus celebrandis deflexit. Nam cum antistes religiosissimus palam in testamenti principio prohibuisset, ne quid superbae vanitatis, aut vulgaris ambitionis & arrogantiae, in eius funere fieret, amplissimum factum esse scimus. Siruelus theologus concionem de eius laudibus, & de temporum insequentium deploratione habuit. Is quasi proximam calamitatem diuinans, quæ rem pub. continuò occupauit, versiculum illum Dauidis concioni suæ thème proposuit: *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento. Quem alioqui obscurum, & mysteriis perplexum graui & diserta oratione ad Belgarum aulicorum mores detorsit: qui nostratis pulsis, sibi solis apud adolescentem regem locū relinqueret, & assiduis ac immodicis prædis se, & suos locupletarent.* Dies quo humandus Complutum infertur, diuo Eugenio primo archiepiscopo Toletano, longa olim maiorum religione, non modò in Toletana diœcesi, sed per universam tam Hispaniam quam Galliam sacer est. Quam ob causam rector, & theologi patres, qua pietate in diuum sanctissimum Ximenius fuisse non oblieti, in cuius, & diui Illephonsi tutela suam Academiam esse voluit, lege cauerunt, vt eo die sacris anniversariis conditori Ximenio parentaretur, fierentque exequiæ ampla & illustri pompa, concione etiam habita in eius laudem, quemadmodum quotannis celebrari videmus. Sepulchri verò monumentum quo est conditus, è Lunensi marmore candidissimo factum est, in quo eius simulachrum indumentis Pontificiis, & pastorali pedo ornatum visitur, multaque alia signa rerum variarum in sepulchri lateribus, tam molliter omnia scalpta, vt Praxitelis, aut Phidias manibus ducta videri possint. In sepulchri fronte hexastichum est à Ioanne Vergara elaboratum, quod eius iuuenile ingenium satis ostendit. Erubescet vir eruditissimus ætate iam matura, cùm hæc carmina multis aliis fuisse prælata meminerat. Sed sic illa ferebant tempora adscribam autem ipsum epigramma:

*Condideram musis Franciscus grande lyceum,  
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.  
Prætextam iunxi sacco, galeamq. galero,  
Frater, dux, præfus, Cardineusq. pater.  
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,  
Cùm mihi regnanti paruit Hesperia.*

Anno ab Academia condita LVIII. Alphonsus Mendozus rector, sub cuius auspiciis, vt supradiximus, nostri hi commentarii cùm ab Academia probati, tum honestissimo præmio sunt affecti, ferreis cancellis miro itidem opere, per Nicolaum Vergaram egregiū scalptorem, elaboratis, monumentum cingendum curauit, sedecim quibus licuit spatiis, totam Ximenii vitam cælaturis præclaris ostentantibus. Non ab re futurum arbitror, si paucis complectar, quæ anno M. D. LXV. in transferendis diui Eugenii reliquiis gesta sunt. Nam præterquam quod sempiterna memoria sunt dignissima, ad Ximenii etiam historiam facere vide ri possunt. PHILIPPVS II. Hispaniarum rex potentissimus, ecclesiæ Toletanæ pre cibus, apud Carolum IX. Gallorum regem operam piissimam dedit, vt sanctissimi Martyris Eugenii corpus ecclesiæ suæ restituueretur. Quo votis eius annuente, quanuis Galliæ populis dolentibus, ac potissimum sancti Dionyli monachis, in quorum cœnobio multis iam seculis asseruabatur, numenque Martyris non vulgaribus miraculis præsentissimum sentiebatur, in Hispaniam per Petrum Manricum canonicum Toletanum, iure quodam postlimini reductum fuit. Consultabant interea Toletani templi patres, an ad ipsos Galliæ & Hispaniæ limites obuiam venerabundi procederent, indeque Toletum Eugenium deducerent. Qua de re cùm regem consuluissent, visum est, vt Manricus Turrilacunam, Toletanæ diœcelis limitaneum oppidū, & Ximenii natale solum, cum sanctissimis reliquiis festinaret, vbi tandem cōsisteret, donec quid facto opus esset moneretur. Ventus est Turrilacunam postridie Calendas Iulias, vbi Eugenius in successoris Ximenii patria magna populorum frequētia exceptus, post tam diuturnam à diœcesi sua absentiam, quasi Ximenii latibus sese oblectaret, per totum autumnum diuersatus est. Fuit ea dilatio opportuna, vt

interea Episcopis, quos Toletani Antistitis suffraganeos vocant, ad Synodum prouinciam Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Episcoporum suorum humeris in ecclesiam Toletanam inferretur. Sub extremum Nouembris diem, qui inter festos in fastis ascriptus fuit, id factum est, pompa celeberrima, variis diuorum ferculis, & passionis dominicae insignibus, reliquiarum caplam multis geminis & margaritis fulgentibus illustratam, præcedente: quam per vices Philippus rex, & Carolus iuuentutis princeps, & proceres alii subibant: quibus in partem piissimi laboris Episcopi prouinciales, & templi maximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto apparatu, in urbem nostram multis fornicibus, & amplissimis arcubus ornatam, & magno mortalium concursu ex omnifere Hispania frequenter, reliquiae illatae sunt. Nihil illustrius, magnificenter, aut splendidius eo in genere urbs nostra unquam vidit. In ædicula Dominicis sepulchri, quæ subter aram maximam in templo est, regè iubente, depositæ fuerunt. Quanquam multi patres in sacello Mozarabum quod Ximenius dicauit, Eugenio (vt credi par est) inspirante, collocandas esse contendissent. Ximenii mors, vt fuit bonis & rempublicam amantibus grauis & acerba, sic malis hominibus & seditionis iucunda. Nam cum quosdam Senatores regios Senatu eiecisset, & alios, vt merebantur, ignominia notasset: & inferioris nobilitatis hominibus salario regia, quibus ut inutiles fuci fruebantur, abstulisset, potentiores verò antiquis stemmatibus & ditionis amplitudine superbientes, ex quo cū cæteris viuere primus omniū edocuisset: fieri non potuit, quin illo sublato gausi fuerint. Mors enim vtcunque accidat, quibus ob damna aut iniurias illatas male volumus, in vindictæ locum libenter accipitur: quanquam generosos homines, in æmolorum aut inimicorum morte, & doluisse, & præclaras illorum virtutes laudasse, accepimus: carent enim odio & inuidia. Certè Fadricus Albanus regulus, quo cum de prioratu extorquendo tam acriter Ximenius contenderat, miris laudibus post mortem efferebat: vnumque Ximenium fuisse affirmabat, in quo priscum illud robur eluceret, quo nostrates olim excellebant. Quod si vultus & corporis lineamenta, animum & mores produnt, operæ pretium erit Ximenii habitudinem, & sensuum instrumenta compendio describere: vt qui hac naturæ parte delectantur, habere possint quo animum oblectent. Procerò fuit corpore, firmo tamen & compacto, incessu composito innatam grauitatem præse ferente, voce virili & stabili, qualis in heroibus à poeta laudatur, facie oblonga & macra, Fronte ampla sine vllis rugis, Oculis mediocribus, conditis potius quam eminentibus, acutis tamen & acribus, sed vuidis, quales esse lachrymantium solent, Naso oblongo & aduncio, quem Græci grypum vocant, Narium foraminibus latis amplisque, Dentibus bene iunctis, sed caninis prominētibus, vnde à ridiculis parasitis elephantus vocabatur, Labris crassioribus & aliquantum diductis, nam superius non nihil attollebatur, sed citra deformitatem, Infimis auriculis non pendulis, sed perpetua serie ad maxillarum iuncturas hærentibus, Superiore totius corporis parte longior erat quam inferiore sesquitertia ferme proportione. Anno M. D. XLV. Andrea abbate rectore, cum fornix subterraneus, in quo Ximenii cadaver conditum fuerat, reficeretur, eius calva foras ad lucem deduxta fuit, quæ nullis suturis compacta erat, sed osse continuo constabat, qualem aliquando in homine reperi Aristoteles notat. Animi sententiam breui explicabat, respondebat diserte, nec unquam extra rem vagabatur: erat enim verborum parcissimus, etiam cum iratus minabatur. Nam cum beneficio loco aliquid promittebat, multò liberalius rem ipsam præstabat & cumulariorem quam verbis: neque unquam temere, præterquam de rebus seriis, sermonem faciebat. Sæpeque illud Ciceronis usurpabat, nequaquam ita nos à natura generatos esse, vt ad ludum & iocum facti existimaremur, sed ad leueritatem potius, & ad quædam studia graviora. Tamen nonnunquam inter familiares suos, qui natura simpliciori & aperta erant (nam hisce hominibus impedio oblectabatur) iocis & risu animum laxabat seriaram rerum mole fatigatum: Sed adeò parcè & raro, vt comitatem potius illi non defuisse, quam commem & facilem esse iudicari potuerit. Dictis Francesi scurræ, quæ sale nigro carerent, delectari videbatur: erat enim acri ingenio & dicax. Domi hominem mente lapsum alebat, qui olim Theologiam didicerat, & tunc memoriter multa recitabat, cuius confusis & non nunquam certis allegationibus oblectabatur. Sanctii Pumilonis breui statura, & ingenio logatidebat: quem Ildehponsi collegis & rectori moriens commendauit, & mensaru' ministru' esse iussit: id n. munus diligenter obibat. Maderollì militari & simplici libertate non nunquam fruebatur, dum illi per iocu' vt monachus fieret suadebat, quò mentē scelerib. impiatā purgaret. Fuerat hic ad Oranū tribunus, qui mira quadā dexteritate, multis hostibus quibuscum cominus pugnauit, dextros oculos punctim feriens effudit. Literis mirè videbatur recreari, quarū sēper studiosus fuit. Solēne hoc illi fuit, vt à prædio & cœna, docte quæstiones de reb. præsertim sacrī pponeretur, de quib. viri eruditii, qui sēper illi aderāt, disputarēt. Audiebat

etiam

etiam dialecticas iuuuenū distinctiones: bonum enim agricultorū non minus delestari nouis  
 dicebat virgultis, quām arboribus iam fructuosis. Atrabile nonnunquā vexabatur, quo tē-  
 pore negotiis se subtrahebat, neq; temere ab aliis quām ab intimis cōueniebatur. Quamob-  
 rē nonnulla furore potius animi, quām consilio gessit: quemadmodum Granatensiū Mau-  
 torum per baptismatis aquam lustratio, & Africæ debellandæ propositum testimonio esse  
 possunt. Cum potentissimis regulis obstinati illū contendit, sed iusta semper ratione præ-  
 cedēt, vt superius ostendimus. Nam qui difficilium negotiorum exitus perhorrescunt, atq;  
 ea de causa rerū agendarum occasiones prætermittunt, non tam prudētes aut cauti, quām  
 ignavi & timidi censemur. Nihil vñquā grauioris consilii aut operē aggressus fuit, quin pri-  
 us ad canonicos Toletanos referret: quibuscum re communicata, Deum precari iubebat,  
 vt negotium fortunaret. Nam Africanā expeditionem facturus, & Arādam cum regio Se-  
 natu profecturus, Toletum ad patres venit, quibus conatus & consilii sui rationem edidit.  
 Quod semel faciendum proposuerat, dicto citius confectum volebat, illud Salustii usur-  
 pans: Vbi consulueris, mature opus est facto. Si quis parum cautē aliquid egisset, etiam in re-  
 bus magni momenti, modō animi voluntas ad nocendum abesset, per omnes ætatis gradus  
 nulla indignatī significatione data siue ea humanitas siue potius prudentia erat, dissimu-  
 lauit. Dum Academiæ exēdificandæ intentus, in diuī Ildephonsi templo fabro lignario cru-  
 cem supra aram maximam clavis trahibus figenti adesset, penē vitæ discrimin subiit, de-  
 lapsō in Ximenii caput malleo, sed numine quopiam iustum auertente, cutim tātum per-  
 strinxit. Statim inde discessit nulla voce emissā, vitæ humanæ caliginem & pericula reputans. Verborum libertatem in nōnullis magna animi moderatione tulit. Nam Vxamensi sa-  
 credoti iudicem priuatum suæ causæ postulanti, cum respondisset optimos vicarios se tri-  
 bunalibus præposuisse, quibus meliores nec Guadalfajara, nec Madritū erat datura: Potuit  
 (inquit ille) Turrilacuna huic regno præsulē dare, & hæ ciuitates nō habebunt iudicē ido-  
 neū tantulæ causæ? Ximenius, reguli alicuius fiducia illum procacē fuisse existimans, quæ-  
 siuit quem patronum haberet: pari cōfidentia retulit, se sibi patronū esse, neq; alio indigere.  
 Pol (inquit Ximenius) non poteris te dignorem inuenire. Et hac castigatione contentus,  
 de iudice dando cœpit agere. Contrerà cōcionatorem, qui præsentē Ximenium, ob pretio-  
 fas pelles quibus in duebatur, acriū quām par erat reprehēderet, magna animi lenitate su-  
 stinuit, & ad prandiū vocari iussit, & eius concionē laudauit. Qui personā publ. sustinent, vti  
 non possunt plebeio vestitu & apparatu: nam purpuræ splēdore, & supellectilis lautæ copia,  
 maiestas quædā conciliatur, qua homines in officio continentur. Sed Ximenius, quanuis i-  
 stis in vsum quā diximus vteretur, interiores veste, & lecti quo indormiebat stragula, sem-  
 per ex præscripto Franciscani instituti habuit. Vitę itaq; tristioris perpetuò cultor, & rustici-  
 tati quam deliciis propior semper fuit, quod de M. Agrippa dictum legimus. Salzedam  
 austerioris cōuictus causa secedens, cum menianum, quanuis angustū, ante quoddā cubi-  
 culum proiectū vidisset: hæc est (inquit) illa Salzeda, in qua omnia acida esse dicebantur:  
 quasi curiosum opus, & voluptati factū notaret. Quoties sodales Franciscani panē & vinū  
 ostiatim mendicabant, panem sine quo viuere commodè non possent, iure suo exposcere  
 aiebat, vinū verò delicias meras esse, cùm tot perēnes fontes vbiq; scaturirēt. Nocturno tē-  
 pore plerūq; tondebatur, ne vllam diei particulam reip. subtraheret: quanquam nec illud  
 tempus perire patiebatur, audiebat enim qui grauem aliquem authorem recitabat. Preces  
 horarias, adiutore rarō accersito, solus & plerūq; obserata ianua absolutebat, vt interpellā-  
 di occasionem adimeret. Sacram synaxin celebraturus, publico item loco non gaudebat:  
 frequentius in priuata ædicula operabatur, duobus Franciscanis, viris bonis & eruditis præ-  
 sentibus, quos in id munus apud se habuit. Simplicem in ecclesiis cantum (quem Gre-  
 gorianum appellant) amabat, theatrali offendebatur. Templis nec admodum spatiose, nec  
 plurimam lucem admittentibus capiebatur: nam alterutra res mentis intentionem distur-  
 bat, quæ in locis subobscuris colligi solet. Extremis vitæ suę temporibus, negotiorū & mor-  
 borum agmine irruente, publicis sacris interesse desit: & aliquanto serius quām solebat in  
 publicum prodibat. Vtrunq; æmuli culpabant: & apud regem per literas sāpe conquesti,  
 multum detrimenti ex ea relites capere aiebant. Qui responsum rege dignum accep-  
 runt, plus momenti in vnius Ximenii salute ad reipub. incolumitatem verti, quām in o-  
 mnium priuatorum negotiis. Liberalis animi erga posteros argumenta, testimoniis  
 æternis, de quibus iam diximus, comprobantur. Quæ verò singulari beneficentia in  
 sui qui homines contulit, multa commemorari posunt. Quiomarā Castram Manrici Naia-  
 rensis vxorē, quā ille vt erat ingenio diffīcili & feroci, domo per contumeliā expulerat, Xi-  
 menius apud se eo splēdore & dignitate Toleti habuit, quā vix apud maritū ducē tenuisset,  
 donec inter eos conciliata gratia, in pristinam fortunam restituta fuit. Cuius afflictio eā

indignior videbatur, quod Manricus factus fuerat Najaræ dux, ab Enrico IIII. in uxoris gratiam. Huius beneficii Quiomara deinceps memor, quotannis ad Ximenium linteram supellecilem, dulciarii operis bellaria, aliasque eiusmodi lautitias, veluti perpetuum vectigal, misit. Cum olim Seguntiaæ capellanus maximus esset, Alphonsi Iannii suaui voce delectatus: est cur doleas Ianni (inquit) me Archiepiscopū Toletanū non esse: nam ego te primicerium creasse. Est autem primicerius, qui chori cantū curat: nunc capis colum vocant. Post vero Archiepiscopus creatus, promissi memor ea dignitate illum donauit, addito in literis propria manu elogio, ad cantorem Guadalfajarensem, ibi enim natus fuerat. Brunetū, qui, ut diximus, Ximenio a latronib. ad Aquas Sextias despoliato, viatico est prosecutus ut Romam adire posset, ad se officii causa venientem, benignissime accepit: cumq; eo non semel semotis arbitris familiariter est collocutus, quod per paucis ille præstabat. Voluit apud se Brunetū per amplis præmiis retinere: at ille sive quod estate prouectus iam esset, sive quod aptum nidum, & quod sibi satis erat Segouiaæ haberet, gratias Ximenio egit, à quo multis muneribus donatus discedit: quæ ille tā facili & hilari vultu largiebatur, ut nemo esset qui plura in posterum impetranda sibi non promitteret. Quoties digna aliqua aut opima sacerdotia, Toleti in templo maximo vacua esse acciderat, ea in filios regulorū, aut in viros aliquos doctrina pariter & moribus præstantes, iuxta summorum Pontificum decreta, quæ in hac parte mira quadā consideratione ecclesiariū commodis cōsuluerant, propositi tenax ad mortē v̄q; contulit: nam ex claris & nobilibus viris fauorem, ex doctis v̄rō authoritatē rebus sacris conciliari aiebat. Qua in re nullo in discrimine nothus, an legitimus esset, apud eum habebatur, modò is virtute commendaretur. Benigna fuisse natura satis constare poterit, qui qua fuerit in domesticos caritate considerauerit, & eius epistolas legerit, quibus catholicis regibus, & deinde Carolo nepoti, viduarum & pupillorum causas piissimis verbis commendat. Fuit in Ximenii familia Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis, vir amplissimus, qui duos viros alterum theologum, alterum iurisperitum Ximenium habuisse referebat, diœcesi Toletanæ lustrandæ causa, ut pudicas puellas dote cassas, aut parētum auxilio destitutas, honestis v̄ris in matrimonio locarent. In beneficiis ecclesiasticis cōferendis, præsertim quæ animarum curam annexam habent, haud vulgarem considerationem adhibuit. Nam proximis quibusq; ex familia prætermis, sēpenumero ignotos aduocabat, homines probos, & in aliorum commodis curandis piè sollicitos: quos vel mediocriliteratura præditos, aliis quanuis doctioribus, minus tamen strenuis præferebat. Dum hæc secum ponderabat, & de singulorum virtutibus certior fiebat, multa nōnunquā sacerdotia penes se retinebat, donec dignus minister occurreret. Quod tamen emuli quoq; vt cætera culpabant: ipse v̄rō consilii sui conscius, quicquid illi calumniarentur contemnebat. Sacris potissimum Pascharum solenniis, eiusmodi sacerdotia benemeritis distribuebat. Amabat, homo beneficus, habere quod donaret, ne homines indigne egentes expectare, donec vacua essent sacerdotia, cogendi essent. Quæ vt libenti animo in ignaros sponte conferebat, ita si quis aliquid huiusmodi ab eo peteret, molestè & grauiter ferebat, & veluti procacem, & parū sui reuerentē auersabatur. Ministris & familiaribus, viris optimis, & efficacibus est vsus: eosq; semper in maius prouehere, nouisq; incrementis adaugere, vt solent patres carissimos liberos, curauit. Si quis à familia discedere vellet, nihil aliud rogans aut inquirens, illico abeundi commeatum dabat, neq; vnquam rursus admittebat. Rerum occulatū, quarū sibi notitia à rege nō daretur, adeò se parū curiosum esse ostendebat, vt Lupo apud regem Ferdinandum diuersanti, ne quid tale rogaret per epistolam interdixerit, nihilq; operæ in illis rebus inquirēdis sumeret. Esse enim vanum & molestum studium in negotio præsertim non admodum necessario: cūm alioqui ita omnia priusquam euulgarentur cognita habuerit, vt nihil sibi repētinum acciderit, aut occultum diutius se fellerit. Æqui semper obseruantissimus, iustitiam per se, & per ministros coluit. Quod si quando munera sua aut parum integrè, aut negligenter obire intellexerat, illico magistratibus amouebat, quantumuis vinculo arctissimo coniunctos. Erat Talabriæ præfectus Sanctius Villaroellus, quem ille loco propinqui habebat: hic dum rapinis potius, quam reipublicæ curandæ studet, eō res impudentiæ deuenit, vt palam concussions per ministros, & per præfectum fierent. Quare Talabrienses commoti, duos decuriones ad Ximenium mittunt, qui præfecti flagitiosos mōres declararent: quibus auditis, iudicem Ximenius constituit, qui in Villaroelli acta inquieret, & querelas, qui illum reum facerent cognosceret, administratiq; magistratus rationem seuere reposceret, post quæ successorem illidedit. Supremo suæ diccessis tribunal iudices viros doctissimos, & maximi ponderis semper delegit: ex quibus multi ad Pontificatum deinceps assumti, magistri disciplinam probè retulerunt. Ioannes Velascus, Petri comestabilis filius, Bernardini

& Inachi frater, aliquot annos huic tribunalis præpositus, Calagurritanus Antistes demum constituitur, & deinde Pallantinus. Verūtamen postquam Calagurri præficitur, præpositi munus triennio apud tribunal Ximenii exercuit: nec recusauit homo generosus, Pontificatu haud contemnendo auctus, in familia Ximenii recenserī. Sed fuit hæc olim Toletanorum Antistitium siue authoritas, siue maiestas, vt aliarum ecclesiarum Antistites publicis munerib. præfectos, & officiis priuatis ministros habuerint. Nam Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, is qui historiam Gotthicam scripsit, memorie prodidit, se Guadalfajaræ ægrotantem: in suum locum Dominicum Placentinum Episcopum, qui sibi à sacris agendis erat, substituisse: vt interea regem Ferdinādum Alphonsi noni filium, ad Gienenses, Toraphos, & Plegianos Mauros, qui in Carpetaniā incursus fecerant, debellandos, comitaretur. Rursus vt ex historiis nostratibus intelligimus, Petrus Tenorius, cuius aliquot sunt in diœcesi Toletana illustria monumēta, Episcopos Conchensem & Segouiem, inter sui tribunali iudices habuit. Petrus autem Gonsalus Mendozus generalem vicarium Episcopum Cauriēsem constituit. Postquam Ximenii mors diuulgata fuit, Alphōsus Aragonius Ferdinandi regis catholici filius, Cæsaraugustanus Antistes, quem in Toletanum Pont. creare pater exoptauerat, Turdesillas Carolum salutatus venit, & simul de ecclesia Toletana obtinēda acturus. At Chebrius, qui vt Guilielmo Croio nepoti, præclaræ indolis adolescenti, conferretur adnитеbatur, aliquot nostrorū studiis adiutus, qui diuersæ factionis odio, Croium opibus & honore auctum mallebant, Alphonsum Aragonium Turdesillas ingredi vetuit, quatuor multū deprecantem, vt sibi reginam sororem, & Carolū neptem visere liceret. Ergo ad cæteros proceres Pintiam proficisci, vnde post regē salutatum, spe frustratus in Aragoniam sub extremum Decembrē dimittitur. Quatuordecimo Cal. Oct. Carolus Pintiam ingreditur, ibiq; cōuentibus habitis, procerum & urbium suffragiis sexto id. Feb. rex Castellæ à cunctis acclamatur. Supererat de dissidiis inter Chebriū & Gorrebotum, deq; Guilielmi Archiepiscopi in Flandria, & Seluagii magni Cancellarii in Aragonia morte, & de conuentibus Pintiæ celebrari cœptis, & Compostellam translatis, de Hispania etiam Belgarum rapinis exhausta, vnde motibus ciuilibus data est occasio, postquam ciuitatum procuratores ad suos redierunt, & rex Carolus in Belgū vela fecit: vt se post mortem Maximiliani aui, imperii Romani candidatum ostenderet, & Gallo eius æmulo præferri satageret, scribere. Sed nos ista aliis copiosius tractaturis relinquimus, sat habentes disertis verbis profiteri, vniuersa illa incommoda, quæ & tunc maxima fuerunt, & in nostra proreperserunt tempora, cessatura proculdubio fuisse, si Ximenio vita longior Dei beneficio contigisset.

## LIBER OCTAVVS.

**P**OTISSIM hic desinere, doctis omnibus fortasse approbantibus, postquam Ximenii rebus pro virili satisfeci. Sed quoniam Complutensis Academia, à morte Ximenii conditoris, magna subiit discrimina & ex altera parte magnos fecit progressus, & vberimū doctorum hominum prouentum tulit, qui tum illi, tum Hispaniæ vniuersæ illustri fuit ut ornamento, ad Ximenii etiam historiam pertinere putauit, quædam de vtraq; re compendio scribere. Neq; enim eruditii homines, qui ab illa prodeunt, minus Ximenii opus censendi sunt, quam ipsa studiosarum ædium strætura, quæ vt quotidie nouis fabricis illustratur, sic etiam nouos fœtus subinde edit, qui eas perpetua successione inhabitent, conditorisque sui beneficentiam & virtutem repræsentent. Ergo Theologiæ schola successorem accepit Michaelem Carrascum, virum doctum, & disputando acerrimum. Erat in hoc homine tanta morum & vitæ integritas, vt ad summū magistratum, qui rectoris est, iterum sit assumptus: & Ximenius perpetuum rectorem esse voluerit, syngrapha etiam data paulò ante mortem, qua id honoris Carrasco tribuere profitebatur. Conditio erat, vel in maiori fortuna nequaquam aspernanda: nā vniuersa Academia, & quicquid ab ea emolumenti emanat, quod & multiplex & non vulgare est, ab vnius pendere rectoris arbitrio Ximenius voluit. Cæterum vir prudens, literarias contentiones, odia, & communem hominum ingratitudinem, ambientium studia, & eos commendantium, molestias considerans, decreuit conditionem oblatam repudiare. Sed amicis ne id faceret suadentibus, coactus fuit syngrapham antequam magistratu abiret, suis collegis ostendere, & eorum sententias rogare, anno primo à Ximenii

morte, ab Academia verò condita decimo. Tantus illico tumultus est exortus, ex Senatu in longius producto, totus ferme dies collegarum contentionibus consumptus fuerit, Carraza inter alios, & Curia, & Almarazio, magna vi admittendam pernegantib. Quod cum ille animaduertisset, syngrapha discissa, se magistratu extemplo abdicavit. Hic post aliquot annos scholam Theologicam deserere coactus, in Alfonsi Fonsecę Archiepiscopi Tolletani familiā ascitus est, cui à conscientia expianda fuit. Datus fuisset Philippo principi magister, nisi corpusculi breuitas obstatisset, matre Augusta iudice, quæ illi Siliceum prætulit: hic enim duo, & Siruelus designati fuerant. Huic suffectus fuit Ioannes Metina, iuuenis adhuc, sed perspicacis ingenii, & grauis iudicii. Hic plusquam viginti annos Theologicæ scholæ præpositus, tantam sibi laudem comparauit, ut eius nomen breui celeberrimū per vniuersam Hispaniam fuerit. Erat in eo admirabilis in explicando distinctio, adeoque materiam propositam sine vllis ambagibus colligebat, vt nihil esset tam perplexum aut obscurū, quod vel tardissimus non assequeretur. Et in argumento non unquam arido & ieiuno, tanta verborum volubilitate & copia, tanto ordine, tamq; apta & cōnexa serie, tam intenta contentione, tā firmis sensib. ad rem semper faciétab. tā acutis & veris rationib. vrebatur, vt nihil in illo ad perfectā eloquētiā præter verborum delectum desideraretur. Qua nempe re animos omnium attentos faciebat: qui si semel vagarentur, frustra postea intentionem reuocarent. Concursus vndique ad eum siebat in rebus dubiis, aut certè parum cognitis, tanquam ab oraculo claritatem petentium. Ex immoderato studio varios morbos contraxit, qui illum indignis modis cruciabant: podagram, calculum, & iliorum dolores. Atq; ita ante tempus è viuis sublatus, scholam Theologicam, atque adeò vniuersam Academiam, sua morte mœstissimam reliquit: neque enim annum quinquagesimum septimum attigit. Situs est in diuī Ildephonsi facello, obiit anno Domini M.D.XLVI. quod insculptum epigrāmat testatur. Reliquit suæ doctrinæ monumenta, libros de pœnitentia & restitutione, qui etiā manibus studiosorum circunferuntur (sunt enim multis in rebus cum primis vtilis) verum longe maiori cum veneratione is sua verba sonans audiebatur, quām postea eius scripta leguntur. Eo mortuo Andreas Cuesta scholā suscepit, acri ingenio, & non vulgari prudētia vir, quem ob doctrinam & virtutem, Philippus II. Hispaniarum rex, Legionensem Episcopū fecit. Vnde ad Tridentinū conciliū proficisci iussus est, & rediēs bene regesta, & doctrinæ opinione clarus, apud Montem Sarratum diem suūm obiit. Fuit in eo mira subtilitas, acre ingenium, & certum iudiciū. Liberales disciplinæ multos per celebres viros habuerunt, de quibus alii copiosius tractabunt: à nobis trestantum hic recensebuntur, Thomas Villanova, Alphonsus Pratus, & Didacus Nauerius. Thomas in Ildephonsi collegium cooptatus, artes liberales professus est, & discipulos satis doctos Academiac dedit: inter quos Dominicus Soto, & Ferdinandus Enzinas numerantur. Hic cum raram indolem & ingenii acumen opusculis editis ostentasset, magnamque sui spem concitauisset, immatura morte præceptus fuit: ille verò inter Ildephonsi collegas adlectus, tantos in liberalibus disciplinis, in reque Theologica progressus fecit, vt Salmanticam concedens, & in Dominicanam sodalitatem ascitus, in ea Academia Theologicam scholam multos annos fuerit moderatus: scriptisque eruditissimis orbem repleuerit: & ad res grauissimas tractandas à Tridento per Carolum V. Imperatorem, cui à confessionibus fuit, accessitus, magnum sibi autoritatē comparauerit. Thomas verò, & ipse Ildephonsi sodalis, Augustinianum ordinē postea professus, cum vitæ sanctimonia magis ac magis quotidie claruisset, Archiepiscopus Valentinus factus est: in quo munere obeundo sanctissime se gessit. Alphonsus Pratus, Toleti ortus, ingenii acumine & acrimonia præditus, scholam philosophicam, non mediocriter illustrauit: proutq; illa tempora ferebant, in illis plusquam Chrysippis questionum subtilitatibus, quibus immodice illa ætas indulxit, magnum nomē adeptus, multos & illustres doctrina discipulos reliquit: inter quos Hieronymū Velascū, virū iudicio & doctrina clarum, qui ad Ildephonsi collegas tunc assumptus, nunc Episcopus Ovetensis est. Hic Pratus præceptoris in S. Thomæ cathedra petenda competitor, non sine multorū reprehensione, victor evasit, quem magistro de se & de rep. literaria benemerito, cedere fortasse & quū iudicabāt. Pratus ob hanc repulsam à Ioanne III. Lusitaniaz regē non multo post vocatus, Conimbriacæ Academiac, quā rex ille florentissimā instituit, Cancellarius est factus. Nauerius ingenii acrimonia, & non ingrata quapiam iactatione feruētioris spiritus homo, recte eruditos discipulos eduxit, & doctrinæ suæ documenta exhibuit, editis de dialectica & philosophia libellis, qui multos annos sunt publice prælecti. Medicorū schola Perrum Leonem, & hunc quoq; Tolētanū suscepit, virū excellenti memoria & doctrina, at bilis feruore nonnunquā adeo percitum, vt vix dū publicè profitebatur, sese posset cōtinere. Quare magno impetu in gymnasio deambulans, corpus mire contorquens docebat, non sine of- fensione.

fensione discipulorum quorum attentioni officiebat. Habuit hic Ioannem Reinosum lectio-  
nis æmulum, qui cum non ita pridem ex Italia venisset, ac præceptorem Leonicenum  
referret, literarum Græcarum præsidio adiutus, in quibus nonnullos profectus fecerat, v-  
niuersam scholam medicinæ inuertit, & quæ ad id tempus Arabum medicorum placita a-  
pud Hispanos persancte coluerat, totam se ad normam Græcorum composuit, Leone fere  
destituto. Mirum in eo homine fuit, quod cum ad reliqua omnia ingenio præcipiti & in-  
quieto esset, in morbis curandis latus erat, & gradarius: vnde factū est, vt raro in Reme-  
diis ministrandis aberrarit. In diuī Francisci templo, magna Academiæ frequentia sepul-  
tus est. In rhetorum gymnasio Ioannes Ramirius Toletanus Nebrisensi successit, vir leni  
quadam facundia, & styli elegantia ac puritate excellens: tanta vero probitate, & in rebus  
domesticis tractandis vigilantia, vt merito frugi appellari potuerit. Multa scripsit, partim  
dialogis, in quibus scribendis multum oblectabatur, partim oratione perpetua, ferme ad  
œconomicen cuncta pertinentia, quæ in lucem nondū venerunt. Alebat domi adolescentes  
ingenuos, quos & moribus & literis probe instituebat. Ramirio eloquentiæ scholā te-  
nente, cum magis ac magis studiosorum adolescentium copia cresceret, ne ille annis iam  
ingrauescentibus nimio labore fatigaretur, visum est rectori & collegis, legem Ximenii de  
hac re sequentibus, alteram cathedralē rhetoricae constituere. Hæc primum Ioanni Fer-  
nando Hispalensi, cuius nunc doctrina Conimbricensis Academia permultum iuuatur,  
deinde Io. Petreio Toletano commissa est, iuueni ingeniosissimo, qui non ita pridem Cō-  
plutum venerat: cuius indoles & dicendi vigor, quemadmodum excellentis artificis signo  
accidere Cicero ait, simul aspectus & probatus est. Eius tam prompta erat & extemporalis  
ad dicendum facultas, tam ameno amne & perenni fluens, tamq; liquido, & minime tur-  
bido, vt medio in Latio natus & eruditus, iudicio etiam Italorum, qui illum audierāt, vide-  
retur. Pangebat etiam venustissima carmina, cuius rei amplum testimoniu, editis aliquot  
per Antonium fratrem eius poematis, quæ apud nostros circunferuntur, datum est. Iu-  
stum opus de vita & actibus Mariæ Magdalena poeticis virtutibus refertissimum scripsit:  
cui si vltimam manum addere licuisset, esset profecto opus præclarum, & vndique absolu-  
tum. Lætam s̄ penumero Academiam fecit facetissimis comoediarum argumentis. Multū  
de eius ingenio sperabatur, ni immatura morte præuentus fuisset: neque enim (vt opinor)  
quintum & trigesimum annum attigerat. Igitur cum Academia omni genere disciplinarū  
florens, in dies magis ac magis augeretur, resq; theologica quam Ximenius sibi excolendā  
sumperat, eo gloriae & incrementi processisset, vt Complutensis Academiæ comprobatio  
ad res maximas religionis requisita sit: ad integrum corporis literarii magnitudinem, atque  
membrorum perfectam absolutionem, professor in primis desiderabatur, qui sacra bibliorū  
volumina interpretareret, quorum cognitio viro Theologo propositus est finis: qua  
de re in Ximenii legibus nihil cautum est, quod eius tempore antiqui authores à perpaucis  
versabantur: sacrasq; literas & primitiū illam scholam, vt facilem negligebant: quā quia  
sine disputatione procedebat, positivam vocabant. Postquam vero homines euigilare cœ-  
perunt, & se frustra quæstionibus vacare intellexerunt, nisi antiquitatis & bibliorum co-  
gnitio haberetur, magna diligentia virum ad hanc rem aptum quæsierunt. Oportebat au-  
tem linguarum peritia esse præditum, in sacrisq; authoribus euoluendis bene versatum, &  
maturo iudicio, atq; adeo vaticinantis spiritu, quod Paulus alicubi prophetiæ donū appelle-  
rat, instructum, qui ad id munus exequendum accommodus esse videretur. Tandem post  
longam consultationem, diuino numine rem suam curante, Dionysius Vasquius Toleta-  
nus Augustiniani ordinis sodalis, ingenii monstrosi vir, qui tunc in sacris cōcionibus apud  
Hispanos principatum tenebat, ac propterea Carolo Cæsari in primis carus, cuius potissi-  
mum erudita & peracri voce inter palatinos concionatores oblectabatur, quem nonnun-  
quam stans audire solebat, ne vel somnus obreperet, vel negotiorum cogitationes alio a-  
uerterent, accitus est. Nouos ipse scripturæ sacræ sensus, qui cum antiquis certare possent,  
ingenii acumine, quod in illo admirabile fuit, grauitate iudicii plenos passim eliciebat: ma-  
teriam magia cum iucunditate dilatabat: amplificationibus cumprimis eminebat: affectus  
mirifice inde concitabat: & quoties ad ipsam perorationem veniebat, tanto dicendi fere-  
batur impetu, tam præcipiti torrente decurrebat, vt animos omnium vel nolentes raperet,  
& in quamcunque vellet partem flecteret: adeo vt Ramirius de ipso dixerit, nullum ætate  
sua præter vnum Dionysium oratorem natum vidisse. Ingenio alioqui viuacissimo, ex do-  
ctrinæ adiumentis, quam sibi iuuenis conquisiuerat, multum roboris additum fuit: nam &  
in linguis discendi assiduus, in Theologicis disputationibus frequens, & sanctorum pa-  
trum lectioni quotidie intentus, illustre nomen sibi comparauit: & in tribus celebribus  
Academiis Parisiensi, Complutensi, & Toletana doctoratus titulū promeruit, ipsis certatim  
D d d d

honores deferébatur. Incidit Dionysius postremis suæ vitæ diebus in linguae paralysin, quæ mira eminebat. Quare maximo omnium mœrore Academiam deseruit, & in patriam secessit, ubi eodem fere quo natus est die vita functus est, vix sexagesimum excedens annum. Huic successit Georgius Nauerus, non tam excelsi spiritus vir, at doctrina & iudicio insignis, atque quod maxime illum commendabat, vitæ puritate & sanctimonia clarus. In Theologia tam grauiter & eruditè instructus fuisse dicitur, ut in primis illis Theologiæ studiis, cum nihil aliud quam scholasticæ quæstiones versantur, quæ in priuatis aut publ. disputationibus asseruerat, ex veterum authorum placitis, suis in fontibus consideratis, confirmabat. Is doctrinæ causa Pallantinus canonicus factus, Louanium literas Græcas discendi cupidine incensus, ætate iam declivi concedens, non mediocriter in eis profecit. In ecclesiâ suam reuersus, Complutum accersitur, ubi quanuis Dionysiacæ magniloquentiæ longe impar erat. n. minoribus lateribus, & lenta ad loquendum prolatione) attentionem audiuentium retinebat, admirabili diligentia omnia veterum scriptorum arcana enucleans. Quod nimis in causa fuit, ut Franciscum Vergaram, Græcæ linguæ professorem, & magna eruditionis grauissimiq; iudicii virum, aliquot annos auditorem habuerit, qua ille re impendio delectabatur. Interim à Cæsare apud Belgas Diuodurum, quam Metin vulgo vocant, obidente, ad vulneratorum, & ægrotantium curam vocatus est. Quod munus cū religiose & sanctissime Nauerus obiret, è viuis cum cæteris sublatus fuit. Successit in schola Cyprianus, Cisterciensis ordinis monachus, vir tam Latina quam vulgari eloquentia illustris: qui cum non ita pridem unus è numero scholasticorum haberetur, & ordinis causa inter præceptores tantum & amicos notus esset, post peracta Philosophiæ & Theologiæ scholasticæ curricula, in linguarum studiis assiduus, breui tantum ingenii acrimonia, qua pollebat, profecit, ut incredibili totius Academiæ consensu, ad eam præfecturam cæteris omnibus prælatus fuerit. Magna de eius ingenio & eruditione in dies sperabantur, sed in medio vitæ cursu omnibus doctis dolentibus raptus fuit, relictis nonnullis doctrinæ suæ monumentis. Petrus Campus, qui ut retulimus, primus rector, cum vi & potestate Academiam gubernandi creatus fuit, postea inter canonicos Toletanos ad sacrarum concionum munus cooptatus, plusquam xxx. annis ita pie, & eloquenter, atque tanta cum varietate ea rem tractauit, ut eo ad populum verba faciente, templum alioqui capacissimum semper auditorum frequentia repleretur. Mirum habebatur in ciuitate acuta & delicata, post tot annorum curricula, nunquam ex satietate fastidium cuiquam fuisse subortum. Vt rebatur sermone eleganti & culto, graui tamen & severo, qui non artificio quæsitus, sed sponte sua fluere videbatur. Accedebat motus gestusq; aptissimus, qui eius orationem adeo commendabat, ut unus eo tempore fuerit, quem aures Toletanæ audissime auscultarent. Ioan. Vergara sepulchralem inscriptionem in amici gratiam composuit, quæ sic habet:

*Reuerendo in Chr. Pat. Doct.*

*Petro Campo, Episcopo Uticensi.*

*Can. Tolet. Theologo, ex cuius*

*ore concionantis Pop. Toletan.*

*rotos XXXIII. annos cupidissime*

*pependit, Dec. Cap. q. Toletan.*

*Sodali B. M. P. C.*

*obiiit.*

*Anno Domini M. D. LI.*

Alii deinceps insecuri fuerunt viri excellentes: de quibus qui acta Complut. Academiæ sunt scripturi, multa nō indigna relatu memorabunt. Primus Academiæ Cancellarius Petrus Lerma fuit (ut diximus) vir doctrina clarus, & cui plurimum Ximenius in primordio nascentis Academiæ detulit. Hic post Ximenii patroni mortem variis casibus exagitatus, Hispania relicta Lutetiam concessit. Ibi antiquioris in Theologia dignitatis ratione, primarium locum quoad vixit obtinuit. Ludouicus Catena huic successit, qui in re Theologica Lerma patrum & quauit, & linguarum peritia, & multiplici variarum rerum cognitione superauit. Sunt apud eius hæredes orationes multis eloquentiæ luminibus claræ quibus studiosorum hominum encomia, qui ad gradus seu promotiones ascendebant, continentur, maximo totius theatri applausu recitatæ. Pangebat argutissima epigrammata, & fauerebat ingenii: barbariemque à complutensi Academia pro virili propulsandam curauit. Sed hic quoque, ut eius patruus, graues fortunæ iectus pertulit. Episcopus Abderitanus in Granatensi prouincia, senectute ferme decrepita erat, quamobrem Ludouicus Cathena de quo

quo agimus, Pontificiæ dignitatis consors (quem coadiutorem vocant) est illi datus, vt in eius locum eo mortuo sufficeretur: sed maleuolorum hominum, qui eius gloriæ inuidebat, calumniis, & vt nonnulli credunt, Silicei archiepiscopi opera, alias Abderitano vita functo in episcopatu successit, & noster intra priuatam fortunam neglectus mansit. Hæc repulsa sicut totam Ludouici mentem occupauit, vt mœrere confessus intra paucos menses obierit, reliquo epitaphio, quo animi dolorem est testatus: negat enim fas esse sibi infelici cælum intueri. Hactenus nonnullos viros eruditos, & sapientia præstantes retulimus, quorum nonnulli ad dignitates haud vulgares prouecti sunt, ex iis qui partim à Ximenio reliqui sunt, & partim post eius mortem in eius Academia eruditii fuerunt. Nunc nonnulla referemus, quæ aut addita sunt eius constitutionibus, aut in meliorem formam sunt redacta. Quarto volume retulimus quemadmodum doctore Valladario occasionem dante, Ximenius cogitauerat, de licentiarum (quas vocant) ordine mutando. Nam cum nostrorum hominum id ingenium sit, in honoris & dignitatis contentione semper primas obtinere, siue id iure, siue iniuria fiat, quoties promotionum comitia fiunt, de prioribus locis acriter decertatur: & omnis modestiæ oblii, quisque proximum deturbare cupit: adeo ut is, cuius alias nulla ratio aut postrema haberetur, primum sibi locum dari impudenter postulet, eumque per omne flagitium conquerat. Iam cum ex Ildephonsi collegii seminario, patrum animi, atque adeo totius Academiæ, in factiones diuisi sint, postquam semel turbatis sententiis, hæc aut illa factio aliquem præferendum esse contendit, nihil non ad id faciendum tentat, vel publica Academiæ tranquillitate conturbata. Nam cum ingenii spreti iniuria alta mente recondatur, odia in nonnullis ad mortem usque durant: & nonnunquam peractis comitiis, necesse iudicium intentantur. Anno ab Academia condita xxix. accidit, ut ad Nauerium male multandum, qui Cancellarii vicem eo anno gesserat, quidam Aethiopicalarua tectus, stricto pugione, pene incautum & inermem noctu post cenam confoderit. Quod & fecisset, nisi aliquot famuli currentes, tumultu auditu suppetias tulissent. Versatur etiam in hac honorum contentione utilitatis ratio, ob sacerdotia Iusti & Pastoris, sed quæ minima sit præ honoris ambiti repulsa. Nam in medicorum schola, ubi illa emolumenti causa cessat, grauissimis furiis rem agi videmus: & suffragia, quæ studiorum industriae debentur, assentationibus, vilissimisque obsequiis, & muneribus mercantur. Ergo de totius Academiæ sententia, Ximenii legem abrogadæ esse maxime necessarium visum est. Nam studiosorum iuuenium mutuam contentionem, cui ea lege prospectum esse creditur, nihilominus duraturam esse dicebant, cum eadem pudoris vis, apud homines præsertim Hispanos, quocunque tandem modo reprobentur, maneat. Huius rei apud Salmantensem, cæterasq; Hispaniæ Academias satis magnum exemplum est, ubi R. literæ timore, qua reprobationem significari volunt, non minori studio, quam Compluti desudatur. Reclamatum est à senioribus patribus, quibus semper, quicquid ab ea forma quam illi retinuerunt mutatur, insolens & iniquum solet videri. Quorum adhuc pertinacia apud regium senatum perseuerat, studiorum ardorem ea re sublata perire clamitantum. Sed cum in honorum petitione ea lex seruari semper debeat, ut quam quisque meretur dignitatem ea contentus sit, & maiorem etiam oblatam recuset, & ad præstantiorem deferendam esse iudicet, ut septem Græciæ sapientes in tripode aureo recipiendo fecerunt, humanæ tamen naturæ vitio quisq; res suas immodice amat, & maiora de se quam æquum est concipit. Quare nulla potest grauior esse pestis ad reip. tranquillitatem tollendam, quam si ea ratione honores tribuatur, ut de multis pariter in re aliqua iudicium fiat, & plerisq; neglectis aliis publica sententia præferantur. Nemo est enim qui se contemni velit, & pauci alios prælatos patiuntur. Quare qui parum ingenio & virtuti fidunt, preces importunas, epistolas solicitatrices, minas deniq; plerunq; adhibent, vnde egregie meriti de suis locis pelluntur, & ipsi primarias appellations manibus (quod aiunt) illotis usurpant. Hac de re Ludouicus Catena Cancellarius multis in locis grauissime conquestus est, sed nullibi prudentius aut elegantius, quam in oratione anno ab Academia condita xxviii. ad competitores de liberalium disciplinarum titulis habita. Sed tandem anno ab Academia condita lxxi. supremus regius senatus illum locorum ordinem abrogavit, quanquam multis indigne ferentibus, qui maximos studiorum aculeos retundi clamabant, quos illa locorum æmulatio subministrabat. Inter cætera quæ per Ximenium prudenter sunt constituta, illud etiam (ut alibi scripsimus) memorabile est, de reddituum incrementis in noua collegia ædificanda consumendis. Hinc factum est, ut anno ab Academia condita xx. Matthæo Paschali Catalonio rectore, homine theologo, & nonnulla linguarum peritia instruto, in bonisque authoribus assidue versato, trilingue collegium Hieronymo dicatum sit. Triginta adolescentes, quorum duodecim in eloquentiæ arte exercentur, duodecim Græcis literis incubunt, sex Hebraicam literaturæ discut, perpet-

tuo ibi aluntur. Nam præterquam quod sacra Pontif. decretalinguarum peritiam in Academiis excolendam adhortantur, pullulantum circa religionem sectarum inuentores qui se fontes ipsos sacrarum literarum petere præ se ferunt, quantum viris theologiis necessaria sit, improbitate sua declarauerunt. Sed quoniam ex Ximenii lege, singulis grammaticorum collegiis, seni qui Græcas literas profiterentur adscripti fuerant, duodecim illi in nouam Hieronymi ædem sunt translati. Habet vniuersitatisq; linguæ familia certas quasdam leges præscriptas: nam rhetoribus declamationes, Græcis in Latinam linguam versiones, Hebraicis interpretum sacrorum librorum differentiae demandantur. Hæc domi inter se crebro meditantur: nam quotidie ad epulas aliquod laboris diurni testimonium, à nonnullis eorum siue per prorectorem designatis, siue ordine ita exigente, poscit. Nonnunquam in publicum proceditur, atq; rectore præsente, & Academiæ patribus, magnaq; omnium frequentia, fructus studiorum constat. Triennium singulis in ea æde commoratio conceditur: tantusq; sit in linguis profectus, vt inter cæteras Academiæ Compl. laudes hæc potissima haberri possit. Certe ab eo tempore ita bonis literis plerique exculti sunt, vt paucissimi quiq; reperiantur, quos Græcae aut Hebraicæ citationes remorentrur. Ex hoc seminario principum & optimatum in filiis institutores egregii dantur: & grammaticorum per vniuersitatem Hispaniam gymnasia, ad iuuentutem in Italiâ excellentes præceptores sortiuntur: deniq; eloquentia cum sapientia ita feliciter oës coniungunt, vt vel theologiis ipsis, q; olim monstro par esse videretur, Cicero placeat & Demosthenes, atq; scripta Platonis & Aristotelis sua lingua legant. Igitur si quis ex nouis cum incrementis, tum diuisionibus collegiorum, numerū ad calculū deducat, nouem cōtubernia esse reperiet: iuuenes vero, qui in eis aluntur, plusquam ducentos. Quod si collegiorū præfecti, & famuli annumerentur, ultra trecentos esse deprehendemus: qui omnes perpetua Ximenii liberalitate singulis d'ebus ad vitæ usus necessaria suscipiunt. Quod si Ildephonsi collegas, & capellanos, cæterosq; ministros computaremus, summā quadringentorū hominū excederent, qui à Ximenio perpetuo vestiuntur & aluntur. Inter hos, iuxta Ximenii de conditione el gendorū legem, qui ex Toletana diœcesi sunt, non sine magnis rationibus præseruntur. Nam & Academiæ Compl. conditor in hac diœcesi est natus, & Toletanus præsul fuit, huiusq; regni Toletani opibus omnia construxit, & redditib. locupletauit. Accedit etiam Toletani cæli benignitas, qua ad omnes disciplinas & artes aptissima ingenia producit: vnde merito illis subuenitur, præsertim si patrimonii angustia premantur. Huius trilinguis collegi gratia, Academia Salmanticensis legatos Complutū misit, Ioanne Ruiz rectorre, qui formam & instituta non solum inuenientur, sed accurate transcriberent. Cupiebant, n. & ipsi collegiū trilingue constitueri nostro persimile. Ergo paulatim Academia Compl. in tantâ creuit magnitudinē, vt inter orbis Christiani scholas celeberrimas annumeretur, & eius in rebus arduis & grauissimis sententia, semper requiratur, & apud oës magno in pretio sit. Per multa sunt huius rei testimonia, aliquot tamen referam. Statim sub nascentis Academiæ initiosis, cum Erasmi Roterdami scripta passim apud omnes legerentur, & nonnulli apud regem contenderent, multa esse in eius libris, aut temere asserta, aut affinia damnatis dogmatibus, aut arroganter scripta: visum est, vt censura de Erasmi operibus fieret. Ergo Pintiæ theologorum concilium, per Alphonsum Manricum cardinalem Hispalensem archiepiscopum, & inquisitorem maximum indictum est, à quibus ea res disceparetur. Complutenses inter primos sunt vocati. Petrus Lerma schole Cancellarius, & Petrus Siruelus illuc venerunt: ex quorum sententiis studiose auditis, permulta Manricus vt fieret decreuit. Anno ab Academia condita xxii. Christophoro Loaisa rectorre, cum Enricus octauus, Anglorū rex, Catharinā uxorem feminā pudicissimam, Ferdinandi regis catholici filiā repudiasset, Romani Pont. potestate in dubiū vocata, qui inuptias cū prioris uxoris sorore ratas habuisset, Academia Comp. sententiam suam dixit, Carolo Cæsare postulante. Anno vero xl. Fernando Barriouero rectorre, cum noui orbis per Hispanos patefacti indigenæ, duro & acerbo seruitio à militib. nostris premetentur, seruos eos esse cōtentibus, quasi barbari homines, & cōtumaces, palamq; Christi religionem auersantes, iure belli iustissime capti essent: Genesius Sepulueda, vir nostra tēpestate doctrina & eloquentia illustris, illorū causam libello elegantissimo, aliis contra afferētibus, defendebat. Huius rei cognitio nostræ Academiæ cōmissa est: quæ post longā cum Genesio disputationē, hisce verbis ad regium senatū scripsit: Doctrina huius libri accurate probat quod assumit: sed quoniā non est satis tuta, librum hunc imprimi aut euulgarī æquū non est. Atq; ita iuxta Complutensis Academiæ decretū factum esse, in hunc diem videmus. Anno xlv. Entrena rectorre, cū libri canonici hæreticorū nostri tēporis flagitio vitiat essent, & multa passim bibliorū sacrorū volumina, ab illorum excusoriis officinis annotatiunculis perniciosis, & capitulorum pestilentib. periodis foedata, circunferuntur: vi-

tur: visum est Ferdinando Valdesio, Hispalensi archiepiscopo, & inquisitori maximo, ut ea per viros doctos & orthodoxos pristinæ puritati restituerentur: huic negotio Academiam Compl. elegit, cui eam curam commendauit. Theologi patres inter se laborem partiti, facile rem necessariam perfecerunt: ex quorum censura formula præscripta est, ut expunctis peruersis quæ notarunt dogmatibus, libri distrahi per bibliopolas possent, quiq; essent distracti tuto retineri. Anno vero **XLI** Roldano rectore, Philippus II. Hispaniæ rex quanti faceret Academiam declarauit: nam cum ipse adhuc iuuentutis princeps, nondū mole rerum occupatus, ad eam visendā nonnunquā diuerteret, eiusq; institutis & studiis capere, collegiū Compluti instituere decreuit, in quo ministrorū aulicorum filii, quorū angustæ facultates essent, aliquotq; etiā Academiz adolescentes aleretur & instituerentur, quæ admodum eorum etiam filiæ (vt alibi scripsimus) donec aut nuberent, aut religioni sese addicerent, in S. Ioannis, cognomento pœnitentis, cœnobio, quod à Ximenio ædificatū Cōpluti fuit, Philippi liberalitate pascuntur & instruuntur. Illud etiam insigne benevolentia in nostram Academiam argumentum fuit: nam post Caroli patris cessionem, regnorū moderatione suscepta, mandata ad Academiam dedit, vt quod in cæteris ditionis sua vrbibus de more in Castella siebat, ipsi quoque facerent: vexillaq; sustollerent, ipsumq; regem Hispaniarū acclamarent. Hoc Agesio rectore, anno ab Academia condita **LVI**, ingenti latitia & apparatu factū fuit. Sic præsidium potentissimū Academiz nostræ datum est, ne quid aduersus eam, Archiepiscopi Toletani deinceps tentent: quā eo honestissimo mandato, &

**20** fauoris pleno, sibi rex proptiam & peculiarem fecisset. Certe inter alia monumenta, hoc etiam Academia Complutensis perpetuo asseruabit: vt posteritas intelligat, quanti à rege potentissimo facta fuerit. Diximus supra, theologorum collegium, quod matris Dei cognomine appellatur, eo proposito ædificari à Ximenio cœptum, vt ibi pauperes scholastici, si quando ægrotarent, medicorū nostrorū opera, & Academiz sumptu, in pristinā salutē restituerentur: aut si morbi grauitati succüberent, id solatium parentes haberent, omnem diligentiam ad eos curandos adhibitam fuisse. Est enim acerbum & graue nuntii genū, cum is morte immatura interceptus dicitur, quem aut senectutis præsidium, aut decus suæ gentis, aut columen familiæ, literarum beneficio olim fore sperabant. Semper enim aliquid incautis iuuenibus, suorum cura in peregrina regione destitutis, per incuriam accidisse existimat, quod vitam præter fati rationem ademerit. Ædium illarum angustiis Ximenius offensus, in eum quem diximus vsum conuertit: animo tamen semper voluebat de ægrotorum contubernio ædificando. Nam & in legibus quæ de collegiis sunt, Valetudinariū diu Lucæ ædificari præcipit: eiusq; formam diligenter præscribit. Regni tamen gubernatione, quam statim suscepit, retardatus, morteq; inter hæc præuentus, quæ nullo non tempore viris excellentibus immatura accidit, vnum id ex destinatis ad Academiam consummandam operibus, neque attingere neque dedicare potuit. Seruata est ea laus Ioanni Angulo, Eugeniani grammaticorum collegii patrono. Is enim cum s̄epius rectorem, & Ildephonsi collegas de ea re consultantes videret, nihilque tandem perficere, scholasticos ægrotantes miseratus, quos ad publica oppidi valetudinaria, indignissime deferri videbat, vbi præter priuatas sordes, quas inter viles homines decumbentes tolerare necesse erat, negligenter & malignè curabantur, anno ab Academia condita **XXXII**. Ioanne Vergara Conchensi rectore, spatiofas ædes, quas extra oppidum ad eam portam, quæ tunc Iudeorum, nunc diuī Iacobi appellatur, possidebat, in Valetudinariū vsum Academiz dono dedit, cum perpetuis aliquot redditibus, prout eius fortuna patiebatur: cubicula singulis ægrotis, vt Ximenius proposuerat, sunt diuisa. Id cum rectori & collegis pergratum accidisset, Ximenii mandata in memoriam reuocantes, quāuis ex Anguli benignitate ægrotis esset pro facultate satis factum, vt rei præclaræ ipsi quoq; incrementū adderent, frumenti centum quinquaginta trimodos, centum item aureos nummos in singulos annos à collegio in vsum ægrotorum pendenda constituerunt. Hæc tam amplæ ædes diu Lucæ dicatae sunt, quod is medicus fuisset: sic n. Ximenius faciendum proposuerat. Oblata est Academiz patribus, cæterisq; viris studiosis satis honesta occasio pietatem colendi. Permulti enim cubicularia supellectilem, alii perpetuos prouentus his ægrotantium ædibus attribuunt. Valladarus, de quo supra diximus, hoc Valetudinarium, suum ex asse hæredem esse voluit: vnde plusquam ducentorum aureorū summa quotannis fit. Petro Salasio Cisterciensis ordinis sodali, homini ad hæc munia obeunda perstrenuo, deinde eo mortuo, Ioanni Seguræ doctori theologo, disciplinarum mathematicarū professori, domus cura commissa est: quorum prudētia & solicitudine ea est eius loci lautitia & mundities, vt nonnulli ex primariis Academiz viris, in eam se domum curandos deportari frequenter iubeant. Post Ximenii mortē egit aliquoties Academia de mutandis sedibus, non quidē leuitate aliqua & animi inconstātia,

sed magnis de causis, quas nunc lectori planas faciemus, ne hanc historiæ partem reliquise videamur. Post tumultuosam illam seditionem, quam viuente Ximenio Carolus Mendozius sopiuit, longa quies Academiæ & indigenis Complutensibus fuit. Sed tertio postquam Ximenius viuere desit mense, ex leuiusculæ rei initio, ut omnium mortalium felicitates lubricæ sunt, ea paulatim certamina inter Academiam & Compluti incolas adeo infensis studiis exarserunt, ut non modo Salmanticam urbem opulentam, & studiorū ratione ad conuiendum perutilem, sed quoquis potius terrarum transmigrare Academiæ patres deliberarint. Anno ab Academia condita x. postridie Non. Ianuarias, qui dies Christianis hominibus, ob Magorū aduentum ad Christū recens natum adorādum, religiosus cum primis est, adolescentis quidam Arenillas nomine, formosæ puellæ amore captus, cum forte ad eitis ianuam, quæ in fronte spatiose plateæ, de qua supra diximus, sita erat, spatia aliquot lasciuo gradu & effracto gestu faceret. Carillus quidam, unus ex his qui Ildephoni collegio eo tempore famulabantur, illius mulieris cognatus, adolescentis petulantiam non ferens, cui iam pridem ea de causa infensus erat, non desines (inquit) o bone, fœminam pudicam in loco oppidi celeberrimo solicitare? Quod si minus te mouet diei religio, erubescit saltem prætereuntium oculos, tuam tacitis nutibus impudentiam auersantes. Ad hæc verba indignatus adolescentis, stricto gladio in Carrillum fertur: qui quoniam inermis ex Academiæ more, quo pacto vim illatam propulsaret, non habebat, intenta voce Academiæ auxilium implorat. Idq; cum saepius alta voce inclamaret, momento temporis tantus confluxit Academiæ populus, ut multi oppidanæ, ne Arenillas à multitudine furente occideretur, qui etiam Complutenses appellabat, conuenerint. Ergo mutuo sese ferociter intuentibus, in eum furorem noxio quopiam instigante dæmone venerunt, ut sese iictibus suis impenetrerent, & cladem, vastitatem, & internacionem mutuam minarentur. Cum acrior in singula mometa concertatio fieret, monachus quidam ex scutiferoru ordine, quos vulgus mercenarios appellat, linteum quo sub meridiem dormitus caput alligarat, in usum fundæ p tempore conuertit, & Ramirium Complutensem, armorum apparandorum magistrum, tam certo & valido ictu percussit, ut peccatus comminuerit, & in omnium conspectu exanimè prostrauerit. Vargas regius senator, qui pecunia Vzedanæ deserendæ gratia non ita pridem Complutum venerat, equo sublimis in aciem progreditur, multisq; obtestationib. regis nomine ad utrosq; factis, cum & ipse quoq; lapidibus impeteretur, furenti populo tantisper cessit, & in sacram Dei genitricis ædem, quæ in postrema plateæ parte est, sese quam primum potuit recepit: & templi parochum vestibus sacris indutum, Christiq; corpus manibus gestantem, ad eos continuo ut prodiret curauit: ad cuius præsentiam religione tacti sedati oribus animis ira compresla est. Michael Carrascus rector, & Vargas regius senator, increpationibus & minis ad paulo iam sobiores contenderunt, ut armis depositis discederent: q; & fecerunt, sicq; finem certamen habuit: quanuis odia nō perinde desierint, quæ in multam postea ætatem durauerunt. Obuersabatur ante patrum oculos, inconditus ille oppidanorum frementium furor, quo veluti rabie correpti, inclytam Ildephoni ædem, augurato conditam, sese in eo tumultu demolituros non semelia contauerant. Terrebat Cöplutensium animos prompta illa adolescentum audacia, qua extreina omnia aduersus eos implacabiles tentauerant. Quare cum similia certamina quotidie expectarentur, tunc primum de Academia in alium locum mutanda, deliberari inter patres & collegas cœptū est: cum præsertim opportuna occasio alioqui se obtulisset, Hieronymianis Lupianensibus, ad ædem Ildephoni usibus suis peraccommodam, quo quis pretio & conditione emendā patratis. Madritum & Guadalfajara, quas olim Mantuam & Caracam fuisse existimant, altera ad orientem, altera ad occidentein, confines Compluto urbes, de recipienda Academia inter se contendebant. Nam episcopus Placentinus huius Vargæ, de quo nuper diximus, filius, in patriæ gratiam, cuius ingens futurum incrementum ex Academiæ aduentu prospiciebat, largissima pecunia ut Madritum venirent inuitabat. Petrus Siruelus, ut cum Madritensi senatu de ea re ageret, legatus est missus. Quo minus tamē factum id fuerit, Fräsciscus Prato Madritensis decurio in causa fuit: qui gente in lubrico ætatis positâ, atq; ex diuersis nationib. constantē, postremo recenti finitimorum hominum exēplo odiosam, in partē ciuitatis assumendā non esse dictitabat. Quod potissimum Madritenses deterruit, id fuit, q; sub fine orationis à decurione dictum est. Vrbē hanc nostrā o ciues (inquit) à regib. frequenter habitari nostis: inuitatū enim cœli salubritate, & rerum omnium in hoc loco abundantia, sed potissimum iucundissimis nemoribus, Pardo & Aransuelo tam prope positis, quorum hilaritate & asperitu, rerum publ. tædia voluptate honestissima discutiuntur. Præcludit is igitur regum aduentum, si Academiæ Complutensem recipitis. nouamq; sibi in hac potius regione vrbē reges nostri condent, quā penates cōmunes cum studioſa gente habeant. Nam qui

qui conueniunt negotia cum musis? qui detrita philosophorum pallia cum augusta principum purpura? qui diffluentes voluptatibus homines, cum frugalibus? Certe puidis principibus quietem literariā aulico strepitu interturbare animus non erit. His dictis cum metes suorum ab Academiae cōiunctione ab alienasset, re infecta ad Academiam Siruelus discessit. Guadalfajarenib. cum illa nota essent, cōmodorum suorum solliciti, ad Academiam legatos miserunt, qui in vrbe sua nō modo situm & locum, sed annuā vini & olei quantitatem non contemnēdā, & in totum quadriennium ad diuersandum, non illauta & gratuita hospitia pollicerentur. Erat hæc Guadalfajarenium amplectēda conditio, multo magis quā vlliū alterius oppidi: nam & locus amoenis montibus, quos vocabulo Arabico Alcarianos, hoc est mirabiles & spatioſos vocant, cingitur: vnde auræ salubres assidue flantes, cæli temperationem gratissimā faciunt: fontibus etiā gelidis scaturiens, & sum corpora sub cane inflammantē mitigat, & per totum deinceps anni tēpus solum pingue & fœcundum est, ad necessarios vite vſus. Proinde si quis illā collium hilatitatem, syderum fœlicem influxum, Henarī fluminis irrigationem, quā liquidorem & amoeniorem habet, quā tractus Cōplutensis, contemplari velit, statim eandem cum Alfonso Fonseca archiepiscopo Toletano acclimationem faciet: qui sā penumero demirans dicebat, hoc esse in rerum natura obscurum & abditum, vnde in tam breui locorum interieſtu, tanta terrarum dissimilitudo proueniret: nec enim sibi quatuor leucarum (vt nostri dicunt) distantiam videri, sed quadringentarum. Adeo cæli & ſoli dispositio, longe aliae vtroq; in loco ſunt. Multum in hoc Academia inclinabat, gratiæq; ſunt Guadalfajarenibus aetæ, quod tam humanis conditionibus rēp. literariam ad ſe pellicerent: ſed ne gymnasium ſuum illuc transferrent, gentis Mendoziaz aulam in cauſa eſſe, quæ nimirum peculiari quodam genio eam ſibi ſedem elegiſſet, quam cum fortunarum patronam colerent, nullo pacto quietem interturbare volebant. Quare ad concordiam cum Complutensibus, Ximenii voluntati obtemperantes, ſe componeſſe conati ſunt. Tandem ab illis temporib. ea animorum consensio ex mutuis cōmodis & beneficiis contracta eſt, vt æterna futura existimetur: tot præſertim ædificiorum molibus, & tot amplissimis operib. pignorū loco & obſidum extructis. Hunc externum cum Cōplutēſibus tumultum, intestina & ciuilis ſeditio biennio post excepit. Nam anno ab Academias condita XIIII. cum Carolus ad Belgas rex Romanorū designandus, Hispaniis relictis profectus eſſet, grauesq; illi populorum motus, qui per ea tempora Hispaniam affixerunt, exorti fuiffent: nulla ciuitas, aut oppidum, aut vicus fuit, qui non ciuib. discordiis concuteretur. Illephonsi etiam ædes consuetis faſtionibus laborarunt, & communis reipub. contagione inuadente, Academias populus desertis muſarum ſtudiis, furia aliqua mentes hominū tunc occupante, ad domētica prælia acrius quam vñquam ſe conuertunt. Quoties igitur in Illephonsi æde ſenatus de rebus literariis per rectorē Hontagnonum cogebatur, qui rem facere ex voto non valebant, q; potentia & ſuffragiis minores eſſent, furore ex temporum calamitate concepto, illico ad arma conclamabant. Sanctum eſt in Ximenii legibus, vt vltra numerum collegarum, aliquot ſtudiosi & ingenui adolescentes, quos portionistas Ximenius vocat, impensis viuſtus (prout ille taxat) exolutis, intra ædem Illephonsi à collegis recipi entur. In qua quidē re variatum aliquoties eſt, nā cum rerum domēticarū extēnos teſtes habere displiceret, ex Romani pont. cōſensu ea lex abrogata fuit. Nūc tamē Academias crescente, virisq; nobilibus ad natorū ſuorum institutionē eam mansionē à collegis petentibus, ad reip. literariæ vtilitatē, quibus procerū fauor necessarius eſt, pertinere viſum fuit, antiquatā legem reuocare. Erat igitur in Illephonsi collegio per illud tempus, inter portionistas iuuenis quidā, excelfo & generofo animo, atq; maiorum nobilitate clarus, Alphonsus Petreius Guzmanus nomine, Ramirii Guzmani Legionensis, Toraliz ditionis domini filius. Rector Hontagnonus & Vlramontani collegæ, hunc ſibi ducē quē ſequeretur elegiſſerunt. Contra Bætici & eorum clientes, illorum conatib. & decretis, quanuis rectore aduerſante, forti animo ſe oppoſuerunt. Aderat Bæticiſ consiliorum hortator & princeps, Petrus Gasca, qui Seguntinus Pontifex nunc eſt, corporis ſtatura, & vultus ſpecie parum cōmendabilis, ex ignobili vico in Abulensi trac̄tu ortus, ſed iuuenis ingenii ſoleria, & ſenili quadā maturitate, ad res omnes prudenter & ſobrie peragendas præditus. Hic poſtea Compluto Salmanticam concedens, theologicas ſtudiis relictis, breui iuriſ vtriusque peritiam nauctus, atq; ad res graues à regibus nostris gerendas accersitus, magnā quidem animi virtutē ostendit. Nam in ſenatum inquisitorum ascitus, & ad Mauricæ gentis tumultus ſedandos Valentiam miſſus, quantū prudentia polleret ostendit. Et poſtemmo orbis noui Peruanos motus, totamq; illā Pizarroū fratrū erectionē, qui velut ſub alio ſole degētes inexpugnabiles eſſe credebantur, admirabili animi præstantia ſupplicio de tyrannis ſumpto, abstulit: & provincias poſta vastum Oceanum poſitas, consilio ſuo & prudētia pacauit. Vnde admirabi-

li temperantia exemplo, eadem veste amictus quam illuc detulerat, & quidem detrita, & pileo etiam eodem in H. spaniam rediit. Quod de Atheniensi Aristide authores Græci referunt, cum ad Ægei maris insulas tributorum componendorum causa, à suis ciuibus missus esset. Ergo vecordes & insani iuuenes studiorum suorum obliti, cum nocte qua in priuato senatu per rectorem habito, res contra Bæticorum sententiam gesta esset, idq; principes eorum male haberet, de rectore cæterisq; transmontanis confodendis consilio inito, vna impletū facere decernūt. Sustulissent eos è medio, nisi vigiles oppidi custodes, qui temporis turbulentia ratione acrius nocturnis circumlustrationib. intendebant, illac ad multā iam nocte forte transeuntes, dimicantium strepitū, funestasq; voces clare per noctis silentiū audiuisserent. Frustra tamē grauissimis repagulis obseratas portas, aut reserare aut infringere tentarūt. Quare igne ad meridianā ianuam, aut quod aliqui malunt, ad sodalium Franciscanorum posticum, q; iuxta illam situm est, admoto, iter ad eos patefactū fuit. Præfectus oppidi & satelles ingressi scholasticos homines, in quorum olim disputationib. concertatio quædam togata à sedentibus conscrebatur, nunc ab infestissima & cruenta pugna, qualis nunquam inter inmanes milites commissa fuisset, mutuis sese vulneribus afficiētes, vix ut cœfarent efficere potuerunt. Rectorem in ea nocturna pugna mortis periculum subiisse ferūt, Cueto Cordubensi, qui postea monachus factus est, hominem vrgente. Illi motus in collegio durauerunt, donec Cæsaris aduentantis auspiciis, & regulorum eius maiestatem fidelter tacentium strenuitate, totius regni tumultus sunt sedati: respubliaque ipsa ad pristinam tranquillitatem, & legum nostrarum obseruantiam restituta. His ipsis diebus Antonius Acunius Zamorensis episcopus, qui vnu spe Toletani pontificatus regiam in primis autoritatem conuellebat, Compluto iter faciens, eum Fernando Pintiano Græcarum literarum professore, qui maxime inter alios popularis habebatur, arcanis cōsiliis egisse fertur, vt pollicitis optimatum eius oppidi animos solicitaret, eosq; in popularis status fauorem quanta posset diligentia perrraheret. Sedulam operam in ea re Pintianus nauauit: nam quem vnum cæteros pellicere posse existimauerat, tum quod familiæ nobilitate illustrior, tum quod clientelis potentior videretur, Alphonsum Castellam præfracti animi, nec multum opibus affluentem iuuenē, vana spe & promissis lactatum, sexagenis millib. nummū in singul. annos interim oblatis, vt partes populi susciperet effecit. At rebus paulo post in contrariū mutatis, totaq; illa tēpestate discussa: popularibus in ordinē redactis, illorumq; ducibus capite multitatis, cum Castella Pintianum vt promissa perficeret vrgeret, illeq; rerum mutatione se excusaret: Castella magis ob reip. proditæ pudorem, quam quod promissa à Pintiano homine priuato exigenda arbitraretur, gladio stricto in illum irruit, & brachium viri eruditissimi vulnerauit. Ob eam iniuriam ab homine potenti illatam, quem vlcisci non posset, relata Compluto, Salmanticam Pintianus, non sine magno Academiæ dolore, concessit. Erat n. Græcis & Latinis literis cum primis eruditus, magnusq; ad eas ingeniō excitator. Recensuimus superius, quemadmodū Antonius Nebrissensis timere se dixerat, ne Complutensis Academia, quæ in oppido ad ditionem archiepiscoporum Toletanorum pertinente ædificabatur, perpetuas lites cum illis habitura esset, tum de iurisdictione, tum de sacerdotiis conferendis, aut fortasse leuioribus de causis, vt sunt potentū animi facile irritabiles. Ergo postquā primam partē confecimus, magnis viris annumeratis, qui post Ximenii mortem ab eius Academia exierunt, & de discordiis dissidiisq; cum ciuibus Complutensibus: supereft, vt quemadmodū iuxta senis Nebrissensis vaticinium, ab archiepiscopis Toletanis fuerit Ximenii Academia agitata & exercita, exponamus. Ergo postquam Guilielmus Croius qui Ximenio succellerat, intra annum, nondum visa Hispania obiit, Alphōsus Fonseca ad pontificatū Toletanum assumitur. Is vt moribus perurbanis, & clemēti animo præditus erat, Academiæ rebus iniquus non videbatur. Palam enim prædicabat, Complutum Academiæ causa sibi veluti pretiosum margaritum esse. Tamen simultatis quam cum Ximenio quondam exercuerat, & doloris ex ea concepti memor, cōquisitis causis Academiam cœpit diuexare. Duæ potissimū res fuerunt, ob quas Fonseca vindictā optabat, altera quidē omnib. nota, quā nos etiam diximus de Compostellano antistite à Ximenio iure primatus inhibito. Hanc simultatis causam dicto aculeatori Ximenius auxit imprudēs: nam cū anno insequenti Compostellanus à Ferdinando rege impetrasset, vt apud Pont. Max. liceret agere de archiepiscopatu Compostellano in Alphōsum filium transferendo, sibi ne gradu honoris decederet, Patriarchæ Alexandrini titulo cōcesso, Ximeniu inter sermones familiares, ad pceres priuatis dicituris insolentiā rei notātes dixisse ferūt, pontificatū Cōpostellanū gentilitiā hæreditatem ex restitutione esse factū, pnde dispiciendū esse, an fœminarū exceptio facta fuisset: acerbo scommate prolem vtriusque sexus in Alphonso perstringens, nec non regis Ferdinandi parū iustum concessionem: cuius ipsum postea poenituisse Caraualus

uiajus in annibus author est. At secunda illa posterius multo gubernationis Ximenie tempore, ex notis arcans ad Carolum regem scriptis exorta fuit. In iis Ximenius suæ modestiæ non nihil oblitus, paulo liberius in Fonsecæ mores inuehitur. His igitur de causis, aut fortasse quod ita ad rem suam pertinere Fonseca arbitraretur, primum sacerdotia ecclesiæ Iusti & Pastoris, quæ per Alphonsum Carrillum Archiepiscopum Toletanum instituta sunt, suæ distributioni & curæ asserenda omnino cōtendebat: cum id regio ea de re diplo-mati in Academiæ fauorem concessa palam aduersaretur. Deinde quoniam Pont. Max. priuilegio Ildephonsi sacerdotes rectori Academiæ subiiciuntur, & ab eo in mores eorum inquirendum est, iniquum esse, aut potius flagitiosum proclamabat, si suæ ditionis clerici alium quam ipsum iudicem haberent: eam esse inquiens, dum se rector, & illi mutuo, iuxta prouerbium, scabunt, per accommodam ad peccandum licentiam. Idcirco quo iure, quaq; iniuria, de eorum moribus conquisitionem facere est aggressus: sed hanc vim præsentia animorum constantia nostri repulerunt. Nam simulatque id à canonicis sacerdotibus, recēs è theologis patribus per Ximenium adauctis, rescitum fuit, rectoris ope & præsidio implo-ratis, in Ildephonsi collegium se receperunt: ibique plusquam triginta dies templo absen-tes morati sunt, donec Pont. max. tutelares literæ Roma aduenerunt, quibus ea solum Archiepiscopus curare iubebatur, quæ ad templi cultum & preces horarias rite persoluēdas necessaria essent: cæterum morum & vitæ inquisitionem rectori relinqueret. De collatio-ne tamen sacerdotiorum, quæ per Alphonsum Carrillum instituta sunt, quandiu Fonseca vixit controuersia fuit: quod nullo modo in alterius præiudicium, siue per regem siue per summum Pontificem, ea facultas (vt ille aiebat) potuisset concedi. Ergo tutelares illæ literæ quibus in mores sacerdotum inquisitio vexabatur, eius animū eo acrius pupugerunt, quod per ea tempora à regio comitatu sponte absens, Compluti quandiu illi vita supereret, morari constituerat. Nam cum in Cardinalium S. R. E. senatum, priuatis legibus, nothus cooptari non posset, & Cardinales nonnulli in curia Cæsarea tunc diuersarentur, quibus propter eius senatus maiestatem, maior honos quam Fonsecæ Archiepiscopo deferebatur: indignum sua auhoritate esse duxit, qui Hispaniarum Primas esset, tam insigni nota quotidie affici. Nam cum ad Augustam aliquando venisset, sellaq; sibi ex earum forma allata fuisset, quæ nullis hinc inde lateribus cinguntur, atq; ea de causa rasæ appellantur: Ioannes vero Taueru Archiepiscopus Compostellatus quod Cardinalis esset, in multo digniori se-deret, dolore & indignatione affectus, non multum apud Augustam moratus, aula egreditur, & ultimum vale comitatu regio dixit. Hac ergo occasione, quod iamdi cogitauerat, Complutum secessit. Secedentem ingens familia secura est: decreuerat enim Cōpluti amplissime viuere, & animum honeste oblectare. Nam & musicis concentibus lectissimarum vocum ad peragenda sacra vtebatur, & studiosis iuuenibus digna prēmia proponebat, qui conficta themata apud illum eloquentius perorassent. Ad quod spectaculum in cædes Pontificias Academia vniuersa confluebat: & crebro sex, nonnunquam octo declamationes, habebantur. Vbi præter iuuenum disertas orationes, & ambiguam de præmiis sententiam Petri Lermæ Cancellarii versiculi studiose audiebantur, quos aut è Virgilio, quem ille ad vnguem senex memoria retinebat, aut ex alio quopiam Poeta in singulos iactabat. Quale fuit, Lusitano quopiam non inuenuste causam suam agente, multumq; iudices obtestante, ne sibi quod esset Lusitanus, fraudi esset: Tros, Tyriusve mihi, nullo discrimine agetur. Dū hæc in fauorem Academiæ gerebantur, clam per accommodos ministros, non modo iam sacerdotes ipsos, sed vniuersam literariam remp. sibi subiectam facere curabat. Ildephonsi collegium per ea tempora in duas factiones diuisum erat, Bæticam, & Transmontanā, quā Castellanam vocant, Hæ vero cum alternis vicibus in Academia, prout sors dabat, regna-rent, qui numero & potentia maiores erant, dignitatib. cathedris, & emolumentis contra-rios pellebant: vnde atrocibus odiis inter se laborabant. Igitur Villichio ex Bætica factione rectore Castellani multo inferiores, in magnis angustiis & dolore sunt cōstituti. Per oppor-tunam eam occasionem Fōseca ratus, quamvis tūc Compluti nō aderat, aliquot tamē Aca-demiac patrib. qui in eius aula versabatur internūtiis, Moiam qui inter Castellanos præstā-tior habebatur, pollicitationib. permultis inescatum, modo iuri suo renunciaret, & ipsi de-mum Academiam traderet, cōstituere rectorem parat. Id autem facile factu Fonsecæ erat, Bernardini Alphōsi visitatoris opera, qui ex Ildephonsi collegis, quos liberet suffragio pri-uare poterat. Procuratum est tandem à Bernardino homine multis de causis Fōseca addicto, vt Moia rector crearetur. Nam sub mensem Augustum, qui secundū visitatoris censurę deputatus est, secretum & obsignatum edictum in Michaelis festo, ne quid remedii interea quereretur, publicare decr euerat: aliquot ex Bæticis suffragio ad finem Octobris sunt pri-uati, vt sic eis exclusis comitia de rectore creando præteriret. Id edictum, cum apud cēsura

tabellionem magna cura & studio seruaretur, Didaci Agramontii, & Ioannis Cueuæ Cordubensis & Santacrucii cuiusdam industria, noctu ex scriniis clam est abductu. Et ne quæstione per antistitis vicarium facta, alicubi gentium edictum compareret, ab eisdem confessim deuoratur. Is enim erat Ioannes Figueroa, vir ingenio vehementi & seuero, qui postea nostro tempore magnis reip. muneribus functus, ad regii senatus præfecturam per Philippum II. assumptus fuit. Qua in recum Agramontii sedulitas illustrior fuisset, Bedellatus officio per rectorem donatus est. Cum itaque censuræ tempore elapsa, Bernardinus nihil contra efficere valeret, & Fonseca tunc spe sua frustratus, postea in Academiam (vt diximus) venisset, atque Castellanorum factionem commutata fortuna, tertio post anno potentiores offendisset, quod per suos absenti non successerat, præsens maiori contentione aggreditur. Quendam itaque Alexandrum ad se vocari iussum, qui inter factionis Bæticæ collegas & prudentior & cautior habebatur, ad hunc modum alloquutus esse fertur. Miraberis fortasse vir optime, quid ego vestræ reip. (nam ita existimatis) tantopere infestus, te accersi in præsentia curauerim, quem vnum eius amantem ante omnes esse audio, ac proinde mihi (vt vestra fert opinio) minime proprium. Veruntamen hæc ipsa ratio vt tuū colloquiū expeterem effecit, cui ex omnib. qui hanc literariam remp. gubernatis, voluntatem meam aperire, & cōsilium approbari volui. Atq; vt primum omnem animi erga vos malevolentis suspicionem à me remoueā, intelligere te cupio, nihil mihi in tota pontificatus Toletani ditione, siue carius, siue pretiosius Academia vestra esse: idque & passim, & libenter prædico, ac testimoniis quotidie declaro. Nam crebro ad vestras literarias disputationes in collegium venio, & studiosos iuuenes partim publice in vestro cōspectu, partim priuatim inter meos familiares, siue declamantes, siue pugnas eruditas cōserentes ausculto. Verum dum audio, quod de viris theologicis nunquam credidisse, cōtentiones priuatas inter vos esse, odiaq; tātum inuicem creuisse, vt animis implacabilib. alteri alteros deturbare conemini, totamq; illam literariam quietem, cui vos vir ille ter maximus Frāciscus Ximenius dedicare voluit, amittatis, nō possum non grauiter dolere, & labāti gynasio qua potuero ratione succurrere. Id autem si opera tua mihi præsto fuerit, me facile cōsecuturum spero. Fōtem & originem huius mali, qui res vestras penitus nouerūt, in rectoris magistratu, qui prorsus tyrannicus apud vos est, esse aiunt. Nam cum in hāc Academiam ex variis Hispaniæ locis cōueniatis, patriæ nomen apud omnes mortales, natura ipsa dictante, tam sanctum est, vt quoties in transmōtanis imperium fuerit, Pelendonem, vel remotum Cātabrum, sint Toletano, atq; adeo ipsi Complutēsi, sine vlo deleētu anteposituri: atq; idem Carpetani, & Bætici commutata fortuna in suis sunt facturi. Huic ego malo vnicum remedium esse video, si hic rectoris magistratus auferatur, & vnuis aliquis opulentus vir & potens, quem nihil vestra emolumenta moueant, Academiacuram suscipiat. Ille enim priuatis vestris rationib. liber, cōquum sese erga singulos præbebit. Neminem autem huic rei magis cōuenientem quam Archiepiscopum Toletanum inuenio: qui vt potētiam, authoritatem, & reliquam omnem amplitudinem taceam, quæ ad populos regendos necessaria sunt certe personæ quam profitetur causa & officii proprii ratione, eruditis sacerdotia largitrus est, & omnibus studiosis suum fauorem præstaturus. Hanc tu si meam sentētiam approbaueris, ego te in annum sequentem rectorem esse faciam, dummodo factus fidem tuā des hoc quod dixi, te statim curaturum: & mihi in manus potestatem vestram tradas: quē multo magis (vt modo se habet) dissidiorum & seditionum fomes existit, quam vilius cōmodi, aut profectus studiosi causa. Et ne te ad tam manifestam vtilitatem torpor aliquis segnis retardet, quam primum in Toletano templo canonicatus vacuus erit, ego te incūctanter do nabo. Defixis humi oculis aliquātisper Alexander cōstitit, nō tam reip. suæ proditionē cōsiderans, ad quam fucatis causis, & præmio insuper non contemnendo ferme iam persuasus fuerat, quam aduersa factionis odium, & suæ maiorem potestatem illa ratione futuram. Quare gratis Fōsecx actis, quod secum ea de retractare voluisset, collaudatis eius sermonibus, difficile esse dixit se rectorem creari posse, cum Castellanorū factio sesquialtero maior quam Bæticorum esset: nec enim tūc sorte, quemadmodū nūc fit, sed ex maiore suffragiorum numero, rector, vt Ximenio placuerat, creabatur. Facile hōc Fōseca, inquit, modo tu firmus & fidelis maneas, effēctum dabo. Iusti & Pastoris canonici, sub Andreę festū, ex Ximenii vestri legib. visitatorem, quem vocatis, inter se eligunt, qui in acta prēteriti rectoris inquirat, omnesq; alios magistratus exploret. Eius potestas quam lata sit, intelligis: vosq; ipsi sēpenumero apud me conquesti estis, graue iugum & intolerabile à Ximenio ceruicibus vestris impositum fuisse, cum quicquid ille sanxerit ratum sit habendum, neq; vlla ratione prouocādū esse iusserit. Hūc ego deligi in præsentia curabo, qui nō vt ceteri ad omnia annuētes, sibiq; gratiā vicissim captātes, sed rebus diligenter examinatis perspectisq; iuxta munus

munus suum santes vlciscatur, atq; quatuor aut quinq; ex Castellanorū factione collegas, quos ego moribus corruptis inter alios esse noui, suffragiorum iure priuatos, donec comitia Lucanalia prētereant, atque ab octauo Cal. Aug. quando secunda inquisitio agitur, ad Lucæ diem exulare iubeat. Quamobrem tu ita superantibus Bæticis facile rector ab eisdē declaraberis. Nam & Ægidius, qui rectoratu fungitur, cui tu imprimis es amicus, vt reliqui omnes earundem partium ad te creandum statim inclinent, curabit. Sensit tyrannicas technas Alexander, nihilq; tale commeritos vlos ex collegis Castellanis sciebat, cur ea essent pœna afficiendi. Sed tamen diuersæ factioñis odio, quam omnino sublatam cupiebat, ad ea animo latabundo annuit: & quod antea arduum videbatur, sine molestia & difficultate ita effici posse non negavit. Digrassi sunt daris dextris vterq; silentiumq; ante alia pollicentur, donec ad finē optatū perducta cuncta essent. Alexander interea suos pertentabat, varieq; ipsi sermones iniiciebat, de Academiæ statu mutando. Sub Andreæ festū, Fōseca curante, Albornotus Seguntiēsis Visitator factus fuit, vnu ille quidem ex Academiæ patribus, sed quem minimo negotio in sententiam suam Fōseca traheret. Huic magistratui in rectoris prēteriti acta, & mores omnium collegarū inquirere, summa potestas absq; vlla prouocatione, eo tempore erat, quam posteri bonis legib. coarctarūt. Venit, vt mos est, postridie diuī Andreæ ad rectore & collegas salutādos Albornotius, seq; statim iuxta Ximenii legē, præfante rectore, sacramēto deuouit, citra vlli in iuriā in eorū acta inquisitum, in quos sibi potestas ex lege esset: neminiq; vñquā reuelaturum, quæ vel collegii, vel magistratū dignitati fraudi essent futura: nullisq; verbis, literis aut signis, vel pecuniæ impensæ numerū, vel rerum gestarum notitiam significaturum: omniaq; piē & sanctè curaturum, quæ ad Academiæ vtilitatem pertinerent. Dum ergo muneric sui partes exequitur, & anni prēteriti magistratus examinat, & dati & accepti rationes expendit, questionē de morib. singulorum a-gendam, in paucos quosdā propēsius dirigebat. Senserunt illico quorum intererat, Albornotium nō admodum a quū Castellanis futurum: nā per omne fas ac nefas, eorum potentia & cōditionem labefactare velle videbatur: Hoc Alexādrum machinarum concium in spē maiore erigebat, & omnia sibi ex voto successura sperabat. Elapsi sunt interea quinquaginta quatuor dies, per quos visitatori in rectore & collegas ius est: cumq; nihil rei nouę accidisset, pauore quem Castellani conceperant deposito, rursus animis sedatis quietuerunt. Inter hæc in collegium Fōseca vētitare, & ne quid benevolētia prētermitteret, ludorū die, quos post Pentecosten in Christi corporis cultum splendidissimos quotānis Academia exhibet, epulis eorum, quas tāti cōiuia causa lautissimas collegæ apparauerūt, comitatis plenus accubuit. Instabat iam S. Iacobi dies, qui per viii. Cal. celebratur, quando Albornotius iuris depositi compos denuo factus (durabat enim id spatio minori, nēpe ad iiii. idus Augusti, quod ferme tempus semestre est) cœpit animum suum magis prodere: & quibusdam causis prætentis, quinq; primores Castellanę factioñis viros per quatuor mēses exilio multat, & se magistratu continuo abdicat. Collegæ qui sunt in exilium missi: Didacus Wagus, Martinus Malus, Inachus Angulus, Ioan. Morenus, & Martinus Luiandus fuere. Secesserunt in proximum Compluto vicum, qui Turriionus Ardozus appellatur, vbi amēnis rufticationib. prēfinitum exiliū traduxerunt. Comitiis Lucanalib. iuxta Fōsecæ votum Alexander rector creatus, Castellanis qui rem vt acta erat iam rescuerant, nō mediocrem curam iniecit de rep. literaria cōseruanda, cuius negotia sub nouacula (quod aiunt) esse, Alejandro rectore intuebātur. Grauiora sunt enim domestica quamvis remissa mala, quā vlli hostium durissimi incursus. Quare Castellani qui comitiis interfuerunt, interpositis appellationis tabulis, eum rectorem salutare noluerunt, donec rite comitia fierēt, exilibusq; rursus suffragia redderētur. Nā Archiepiscopi Academiæ insidiatis nutu ea esse facta clamitabat; virosq; optimos & prudētissimos ea de causa cōlio pulsos, vt is tādem rector crearetur, qui antistititis partes sequebatur. His querimonis in tā iusto dolore effectū fuit, vt is annus, quod nunquam cōtigerat, sine novo rectore principium habuerit, Ægidio magistratū, donec lis componeretur, in sexquimensem & amplius prorogante. Id autem non mediocriter Fōsecam cōturbauit, qui consilia sua palam iam innotuſe cerneret. Proinde ad regiū senatum, vbi Castellani aduersus potentissimū aduersarium causam agere cōstituerat, procuratores mittit, qui omni criminacionum amplificatione Castellanam factioñē onerarēt, culpamq; cunctā a se depellant, cui id vnu in primis curæ sit, vt seditionis hominib. pulsis, Academia indies augeatur. Irritus Castellanis conatus fuit aduersus hostem ingentem dimicantibus: nam rectoratus Alejandro confirmatur: & res illas ad se non pertinere senatorēs regii pronuntiarunt. Interea missi in exilium redierunt, & tanquam in publico commodo, quemadmodum viros bonos decebat, depositis odiis & simultatibus, viros ex Bæticis præstantiores ad commune periculum cohortantes, consilia inire promiscue cōperunt,

ne quid resp. detrimenti caperet. Cuncti igitur ad eam rem vnanimes, quinque illis ab exilio reuersis, qui ob recentem iniuriam magis Archiepiscopo infensi credebantur, curam rectorem compellandi demandauerunt. Ex quibus Wagus homo priscæ seueritatis & constantiae, qui postea ad Cæsarauastanæ inquisitor à Cæsare est missus, ita in utriusque factionis cōspectu Alexand. alloquitus est: Si ego solus, & nō potius hi vniuersi præstantissimi viri, ad id persuadendū q̄ in præsentia dicturus sum, animatus essem, fortasse tanquā nihil p̄futurus, aut occasionē aliā expectassem, aut p̄sus in silētio me cōtinuissem. At cū eiusmodi periculū metuatur, ad quod euitandū depellendūq; omnes animis paratissimis accedere fas est: eorum, quos in conspectu tuo tanta consensione congregatos cernis, meā vocem esse existimato. Quam cum non possint sine tumultu & cōfusione simul omnes emittere, in hi vni prouinciam dederunt, non tam quidem ob eloquentiam, quæ in me parua aut nulla certe est, siue ob maioris prudentiæ opinionem, cum tu ipse vir iudicio eximius, quales hi omnes sint abunde noueris, sed quod rerum præteritarum, & contumelias suscep̄tæ causa, mihi maiorem notitiam esse existimant fœderis inter te & Fonsecam Antistitem icti. Quod vt certum esse cognouimus, vobisque tantum non sanguine humano firmatum ita facile vniuersi speramus id te protinus depulsurum, postquam ex meo sermone intellexeris, cuncta ea quæ in Academiæ perniciem clam pepigisti, in lucem tandem prolata fuisse. Neque enim hominibus prudentibus cogitandum erat, viros innocentes per summū dedecus collegio pulsos, omnem operam nō adhibituros, ad huius calamitatis causas præcognoscendas, ipsaq; adeo principia perscrutanda. Fucum ille tibi fortasse fecit, vt est magnus verborum artifex: neq; enim de homine, qualis tu es, incorrupto & probo, ullam præditionem suspicari animus est: tuumque istum rectorium magistratum tanquam seditionum & turbarum somitem atrocibus verbis insectatus fuit, ac denique nostram hanc optimatum temp. democratiæ nomine traduxit. Et vt sunt omnium potentiorum mores, vbi vim inferre non possunt, pecunia & muneribus impudenter oppugnant: tu aliquid humanū in hac re passus, præmii alicuius ingentis spe eius perniciosis consiliis assensisti. De utroque breuiter in præsentia dicam: neque enim longa oratione opus est ad tuam mentem tibi reducendam, hoc est, integrum, & reip. amicam. Atq; vt ad primum statim respondeā, quantam vigilantiam rectores hactenus adhibuerint ad hanc temp. conseruandam & augendam, numerosus populus tanto cum profectu literarum, & Academiæ maiestas, in quam tam paruo temporis spatio creuit, argumento & testimonio sunt Nam cum publ. commodum agi videremus, si que omnibus in Academiam confluentibus, modo apti ad disciplinas habeantur, aditus ad collegia & cathedras sit, nullusq; fauor aliunde requireretur, præterquam à cuiusq; natura & virtute, conditoris huius gymnasii leges secuti, omnem in hoc operam posuimus, vt cunctis hoc persuasum esse, cōmunem sc̄le literariā fortunam, & pariter opulentis & egenis, nobilib. & obscuris, tardis & ingenio valentib. patere: primum vero locum & honores labore improbo sibi quemq; parare oportere. At quo pacto hoc potuissimus facere, nisi liberis legibus vteremur? nisi in eodē ludo exercitati cuiusq; merita cognoscemus? nisi quotidie eos explorātes, laboris industriam, ingenii acrimoniam, operam indefessam noctes insomnes, inuictam deniq; in euincendis disciplina- rum difficultatibus constātiā ante oculos semper haberemus? At id credo Toletanus antistes accurate perspicet, non me hercle magis quam rex Persarum. Satis illi cum sacerdotibus suis negotiorum est: satis de rege demerendo, de se cæteris præfulibus anteponendo, solicitudinis & ambitionis habet. At id faciet eius vicarius, totaq; illa tabellionum, fiscalium & lictorum, quibus stipatur, cohors? multò minus profecto: cū vix litib. dijudicandis, dies & noctes illi satis esse videamus. Nostra hęc Minerua ambitione & auaritia vacua, libertatem & otium requirit, quę non ab aliis quā à nobis ipsis præstari queūt. At singamus nos, vt Fōseca dicit, per omnia negligētes esse, nihilq; quod nostri munera sit curare. An non videtis, vniuersum studiorū profectū, qui vnicus nobis scopus esse debet, ita funditus cadere & periire: Statim ad eius nutum cathedrę dabūtur: gradus qui licētia uin appellātur, quib. à nobis de singulorū studiis iudicium fit, non iam ex cuiusq; meritis, sed ex eius volūtate, aut quod grauius & intolerabilius est, ex suorū ministrorū libidine, cōferētur. Quorū insolentiā non ita pridē experti sumus, quando tu ipse, & competitores tui de theologicis gradibus contendentes, vnius mulierculę quę Maldonato p̄fecto domus Fonsecæ nupta est, arbitrio res vestras interturbari aperte sensisti. Taceo contumelias & iniurias, quibus per oppidi p̄fectos nostra iuuentus quotidie afficietur, quibus nescio qua de causa tantopere infensa est. Alterum vero quod dicendum mihi erat, ne te ille, quod minime credimus, p̄remio aliquo p̄posito lactauerit, sentis iam quantū spes huiusmodi fallant: solēt enim principes

viri aureos montes, dum aliquid fieri cupiunt, facile promittere, post rem vero confectam, non solum aut nihil aut per pauca præstare, sed oblique, & nonnunquam aperte proditionem exprobrare: quod Philippum Macedonem fecisse scimus cum eis qui Olynthum illi tradiderunt. Quocirca si quid huiusmodi cum Fonseca pactus es, memento rectorem te huius Academiæ esse, hoc est, parentem, protectorem & patronum: cuius muneris & officii est, sevère in eos animaduertere qui tale aliquid designarent: & pacta, quæ in manifestam nostræ scholæ perniciem, & in tuum sempiternum opprobrium futura erant, irrita factio: quod diuīs & hominibus laudantibus es facturus. Erige, obsecro Alexander te, tuamque vitam tanta hactenus integritate ante ætam recolito, cui notam hanc inurere nullo pæto vir ingenuus debes. Habes hic prope sacram aram, & diuum Ildephonsum huius Academiæ tutelarem. nostri conditoris Ximenii ossa, quod si per maximam hanc iniuriam ædes has literarias perdideris, Deum vltorem, & Ildephonsi numen inimicum, & Ximenii manes iratos semper habebis, qui omnibus locis conscientiam tuam terreat, & te grauius furiis vlciscantur. Hic cum ille finem dicendi fecisset, illico ingens silentium fuit: manifesteq; notæ in Alexandro visæ mutati animi, & culpam deprecantis. Nam & notabiliter expalluit, & lachrymæ sponte sunt illi obortæ. Vt primum igitur voci interclusæ locus datum fuit, omnia prout cum Fōseca conuenerant. exponit, sibique magnis precib. veniam dari postulat, hoc vnum in tanto criminе bonum futurum prædicans, quod se cum Fōseca sic esset gesturus, vt & ipsi suum antiquum animum, & caritatem in Academiam essent agniti, & ille nullius vñquam animum de proditione esset interpellaturus. Quod tam constanter & fideliter præstitit, vt eius propositū Fonseca demiratus, se anguillā cauda captas dixerit. At is talem se deinceps toto tempore rectoratus præbuit, vt æque vtrique factio: ni carus esset: & munere tandem rectoratus functo, libenter erat si per leges licuisset, magistratum prorogaturi. Verum nō multo post in Hispalensem ecclesiam ab Alfonso Māriquo Archiepiscopo vocatus, canoniciatu & theologia eius cathedra donatus est. Fōseca, aut quod operæ frustra sumptæ eum iam tæderet, aut quod iniquo animo tulerit, Michael Carrasco, & Ioanne Vergara eius familiaribus indicantibus, Annam Vlloam Frācisci Maldonati (vt dixi) vxorem, curasse vt gradus secundum eius voluntatem distribuerentur, interminatam ni id fieret, Archiepiscopi & totius familiæ indignationem, mirum in modum se continuuit. Vedit enim si quod tantopere conabatur effecisset, omnia pro suorum libidine esse iactanda & inuertenda. Interim tamen magna & frequens consultatio rectori, & Academiæ patribus de mutandis sedibus fuit. Nam ex Ximenii lege aperte inuitabantur, qui prudentissime in hoc quoque prouidit, vt de regum nostrorum voluntate, si quid incommodi ex Cōplutensis oppidi habitatione Academia pateretur, alio continuo migrarent. Cū ergo præsulem, alioqui benignum, tam iniquum erga se experti essent, frequentesq; item studiosorum mortes, ex oppidiloco, & cælo pestilenti cōtigissent, decreuerunt calamitosis sedibus cedere, & se Pōtificum Toletanorum molestiis liberare, quas perpetuas futuras ex principiis illis diuinabant. Postquam id vulgatum fuit, crebræ multorum populorum legationes venerunt, commodissimas cōditiones offerentes, & caritatem, rerumq; omnium tuam coniunctionem. Fonseca non sine magna sui nominis iactura, & Complutensis oppidi imminutione, id futurum sentiens, dedit operam apud regium senatum, ne quid tale suo tempore permitterent: quare nihil auctum fuit. Quod si tunc effecissent, & suæ libertati Academia cōsuluisset, & multi præstantissimi viri, qui immatura morte non ita pridē occubuerunt, magna studiorum utilitate nunc starent. Sed huic malo obuiā itum esse affirmant, paludibus illis per emissiones in flumen siccatis, salicibusq; frequentibus, & populis ad eius ripas studiose consitis, quarum attractu nebulae illæ perniciose refringuntur, & magna ex parte vi sublata hebescunt. Moritur Fonseca Compluti intercuti morbo, & in eius locum Ioannes Tauera Compostellanus antistes suffectus est, vir quidem quod in elogis in templo maximo Toleti habetur, temperantia & prudentia eximius. Verum vt illis virtutibus maxime laudandus est, ita iuris quod suum arbitrabatur adeo tenax fuit, vt suis emolumētis quantumuis minutis impēdio plus studuisse dicatur, quam Pōtificem deceret. Nā cum statim vt ad Pontificatum Toletanum designatus fuit, controuersiam sacerdotiorū Iusti & Pastoris cōponere à Cæsare iussus esset, idq; optimis cōditionibus actū fuisset, in mores sacerdotū inquirere voluit: & nihil grauius aut molestius ferebat, quam si Cōpluti præfetus, atq; ipse Tauera vicarius, diplomatibus quæ Academiæ à summis pōtificib. Alexander, Leone & Julio benigne & merito data sunt, à causarum scholasticorū cognitione repellerentur. Sæpe enim accidit, vt nonnulli scholastici iuuentæ vitio, noctu vagarentur aut interdiu rixarentur, qui ab oppidi circitoribus intercepti in carcerem cōiiciebantur, & inter vilissimas custodias vinciti tenebantur. Hos rector postquam suæ intrisd. cōtionis esse cō-

pertum erat, ut sibi traderentur curabat. Quod nisi fieret, praefectos oppidi sacris arcebat, & diris (vt solet) deuouebat: monebatque ne Academiz iuuentutem irritarent. Taueranō multo post Complutum veniens, aliquot scholasticorum iuuenum delicta plus æquo apud rectorem exaggerauit, & theologis patribus conuocatis, se illam rem p. mutare velle dixit, quietemque eius perpetuo stabilire. Nam quod Fonsecæ de rectoris potestate immiuenda visum fuisset, sibi quoque maxime placere: cœpitque statim nonnulla scholasticorum errata commemorate, quæ in tanta hominum diueritate, quales quotidie in Academiam conueniunt, accidere sane necesse est. Quibus expositis ad rectorem conuersus, permulta de eius negligentia dixit: quæ tamen condonabilia (vt aiebat) & ferenda in homine priuato, & literaria tantummodo supellestile instructo essent. Annuo enim magistratu fungens, non erat cur sibi inimicos compararet, quibus vlciscendis omnino impar futurus esset. Idcirco ex Salmanticensis gymnasii exemplo, magistrum scholarum se velle constituere, qui censu suo & fauore adiutus, Academiam tranquillam teneret, omnesque eas iurgiorum causas oblitteratas è medio tolleret: idque se apud regem continuo curarum. A quo si id obtainere nequiret, vel pedibus Romam iter facturum, vt id à Pont. max. impetraret. Dura oratio rectori, & patribus theologis fuit, tantique præsulis auctoritate indigna: ceterum magistrum illum, quem dicebat, scholarum, se suscepuros responderunt, modo vñus ex theologis patribus ad eum magistratum gerendum sum eretur: quod ille constanter renuebat, quasi idem tandem magistratus mutato nomine esset futurus. Aliquot dies cum ea de re altercatum fuisset, nihil confectum est: illeq; ad Cæsareum comitatum discessit: vbi partim per regium senatum, partim per Romanos apud summum Pont. procuratores, Academæ libertatem non ille clam, quod Fonseca fecerat, sed apertis machinis expugnare conabatur: Erat enim iam antistitum criminantium causa rectorius magistratus vulgo nonn hil inuidiosus. Missi sunt ad eum legati Fernandus Balbasius, & Fernandus Mataticus, vterq; prudentia & doctrina commendatus. Hi cum de rebus Academæ apud eum cœpissent tractare, liceat (inquiunt) præsul potentissime, hominibus priuatis, & longe infra tuam fortunam positis, de re propria ex quo tecum tantisper loqui, donec tu nobis tuam voluntatem, nos tibi contra nostrum propositum & consilium declaremus. Placuit Taueræ iusta petitio: atque ita inter eos semotis arbitris actum fuit. Tandem cum sermo p. duceretur, Taueræ bili cōmota iratus, vir alioqui animi sedati & cauti, q; fortasse iamdiu in animo celabat, ipso dicēdi calore (vt fit) effudit. Nihil (inquit) Ximenius, aduersus pontificiā Toletanæ sedis dignitatē perniciosus excogitare potuit, quā eo in loco Academiam cōstituisse. Mirati id verbū legati, nō ita (inquiunt) Fonseca sentiebat, à quo instar appēsæ ad pectus pretiosæ gēmæ, Academia nostra ostentabatur: idq; passim, & libenter prædicabat. Quid ille dixerit aut egerit, parū euso, Taueræ respōdit: ego præsentes discordias tantummodo cerno. Quod si è re vestra futurū esse creditis, statim omni studio apud Cæsarē contendā, vt vobis iedes quocūq; libuerit mutādi facultas detur. Atq; eo dicto cū fuisset colloquī solūtū: legatis domū reuersis, post multas vltro citroq; habitas super ea re disceptationes, Academā Cōpl. mutare decreuerūt. Quare rursus ad Tauerā redierūt, & vt pollicitis staret petierūt: neq; enim aliā se posse rationē inuenire, ad eas turbas & cōtentiones euitādas. Cū igitur, q; nunquā existimauerat, constantē de cōmigrando Academæ sententiam videret, hoc (inquit) viri optimi, nō sine magno strepitu, grauiq; quodā & inuidioso apud eos rumore fiet. Diu est q; hāc tē conamini, atq; ab ipsis adeo Academæ primordiis, partim infalubris aeris iniuria, partim genio loci, hoc est, indigenarū auersatione, ab huius loci habitatione repellimini. Vos quid nūc tētētis obsecro attēdite: nā si id tandem efficeritis, nō ppter ea Cōplutum concidet, neq; ipse Toletanus antistes aut primatū, aut auctoritatē deteret. Atq; in interioris cubiculū se recipiens, nihil amplius de ea re egit: cœpitq; diem de die ducere, donec illi tædio correpti, pollicitis frustati in Academā sunt reuersi. At cū quotidianæ nouæ causæ acciderēt, quæ præsulé alioqui attentū, minimeq; ad ignoscendū nostris animatū, facile rursus irritarēt & accēderent, semper lites paratae erāt: & inter rectorem & antagonistis vicariū negotia animis exacerbatis gerebātur. Proinde cū id mirū in modū Tauerā vreret, & palā efferre rursus vereretur, ne eos de transmigrando iā dudū solicitos, eo pacto vt efficerēt cogeret: gratia & fauore, causisq; itē ad fabre cōfictis, apud Romanū pontificē contendit, vt proprio (q; dicūt) motu, sibi in omnes sacerdotes, qui Cōpluti studiorum causa conuenissent cognitione concederetur, atq; in eos duntaxat iuuenes qui diœcesis Toletanæ essent. Cum Academia per procuratores suos, qui Romæ erant, statim resciuisset grauiter vt par erat tulit: & ad sacram (quod aiunt) anchorā configuentes, & Pont. Max. eiusq; intimos familiares, & in primis sanctæ Balbinæ Cardinalē Academæ patronum obtestati & deprecati sunt, vt Academæ labanti succurrent, & è potentissimi aduersarii manibus afflictas

afflictas musas, & studia eriperent. Sed cum surdis canceretur, & Academias negotia in ultimo discrimine essent, Deus (vt aiunt) è machina, & Ximenii Genius rebus perditis opè tulit. Nondum Roma pontificiis tabulis allatis, cum Pintiae Isabellæ Philippi principis vxoris exequiis Tauera interesset, siue atriarum vestium, quibus pueratus venerat, pondere, siue factum cerearum fumo, homo senex & longis laboribus confectus, in febrim incidit, & paucos post dies extinctus est. Eius morte Academia respirauit, & veluti longa tempestate iactatis, lumen quoddam affulsiisse visum est. Erat enim certamen cum magno aduersario, eoq; magis formidoloso, quo probitatis & prudentiae opinione, incorruptius de rebus iudicare, & quid esset in negotiis faciendum, rectius quam cæteri præuidere credebatur. Designatus non multo post ad sedem Toletanam Ioan. Martinus Siliceus fuit, Philippi regis quondam magister: qui cum animi erga inopes paterni, in annos per ea tempora caritate non parum multa indicia dedisset, comitate præterea quadam peculiari cunctorum animos sibi conciliasset, incredibili omnium fauore ad eam dignitatem promotus fuit. Academias partim hisce rebus persuasa, partim studiorum ipsorum coniunctione, nam & philosophus & theologus, quæ duæ res in Compl. gymnasio florent, habebatur, & libello de arithmeticâ Parisiis edito, se à mathematicis non alienum ostenderat, ingentem quandam significacionem lætitiaz dedit, supplicationibus ad omnes aras uno die habitis, & certamine literarū iuentuti publice proposito. Nam poetica themata, symbola, inscriptiones, multaque alia exercitamentorum genera ad nouam antistitis designationem celebrandam, non sine præmiis, 20 rectoris edicto in medium sunt allata. Quāta totius gymnasii atque oppidi hilaritate, pugnatis per vias erectis, Complutum ingressus fuerit, quoniam publicis typis vulgatum est, non est cur in eo recēsendo immoremur. Fecit Academias patres ad omne genus obsequiorum erga nouum antistitem eo tempore propensiores, imminens à Tauera paulo ante periculum: quod proculdubio aut euitare nequaquam potuissent, aut nō sine maximis & durissimis molestiis eo se tandem explicassent. Pollicitus omnem Academias benignitatē Siliceus, Toletum quamprimum profectus est: vbi nouis legibus condendis occupatus Academiam quietā reliquit, magna nostrorū (vt ego existimo) fœlicitate: quibus si acerē hominem, & ad id in quā incubebat vehementem, hostem ex proposito habere contigisset, actum forte esset de nostra libertate. Nam anno M. D. L. doctore Fontinouilla cum quadam de re inter Antistitis præfectos & rectorem litigaretur, & Ludouicus Catena abbas, cæterique Iusti & Pastoris doctores sacerdotes, sacroru interdictū non timuissent, q; rectori subiectos nulla interdicti religione obstringi dixissent, omnes ad unū cōprehendi per arcana literas Compluti præfecto iussit. Quod cum ad aliquot ipsorum permanasset, sibi in tempore consuluerunt: & eo die quo manus & vincula illis iniicere constitutū erat, templo abstinuerūt. & alias alibi delituit. Tres tantummodo, qui aut ætate senili freti, aut dignitatis & innocētiae suæ consciis, aut potius quod nihil de manus iniectione resciuissent, secure rebus diuinis peragendis intenti erant: Ludouicus Catena abbas, Alphonsus Almenara, Bernardinus Alphonsus: quos præfectus oppidi armatorum hominum manipulo stipatus capit, & iumentis impositos, ad Almonacitanam ditionis pontificiæ arcem, quæ Toletu duodecim millibus passuum distat, 40 propere abduci iubet. Interim omnis Academias iuentus cōmota, in maius collegium venit, & cubiculum armorum referari poscunt, vt necessariis telis communiti vindictam sumerent: idque facili negotio fecissent, copia & viribus longe oppidanis præstatiotes, ni rectoris imperio, & patrum Theologorum prudentia, coerciti fuissent. Ponuntur illi in arctissima subterranei carceris custodia, anni tempore rigidissimo, nempe sub Christi Dei natalem. Concitauit apud iratum Antistitem risum Almenara, qui longæuior cæteris erat, homo innocentia & vitæ sanctimonia apud omnes commendatus, cum descendere in specum iuberetur: nam vt tabellio adesset postulauit, qui se in illum locum obscurum inuitum descendere, tabulis obsignatis fidem faceret. Adhibita est omnis custodia, ne quis ex amicis, aut ex familiaribus, ad eorum colloquium admitteretur. Nemo fuit in vrbe nostra iuentus, qui apud furibundum Antistitem intercedere pro eis auderet. At cum periculum in mora esset, crebriq; rumores Toletum deferrentur, partim temporis intemperie, partim animorum afflictione, tres illos viros in languorem incidisse, sed potissimum Ludouicum Catenam, qui animi deliquium patiebat: non defuit ex illorum discipulis Toleti agentibus, qui Siliceum interpellandi munus subierit. Erat tempus geniale, & Saturnalium, quod mutua hilaritate inter omnes celebratur, ac proinde cum antistes totius vrbis salutationibus occupatus conueniri non posset, postridie Dominici natalis, noctu aditus ad eum patuit. Sed vbi sensit de Complutensis agi, vultum mutat, & illorum crimen multis verbis exaggerat: & ignorant (inquit) miseri isti quo cum litigent? existimant enim ab inferis Fonsecam, aut Taueram reuixisse, quorum altero stolidè clemente, altero timide

prouido pro libidine sua abutebantur? Qui deprecabantur, ne se torrenti opponerent, tam  
tum orare se dicebant, ut sibi & medico quem Siliceus vellet, vincitos liceret adire: ne ho-  
mines id ætatis, negligentia perirent: & ipse non tam emendare voluisse, quam interimere  
videri posset. His verbis commoueri vissus est, & literas ad carceris custodem dat, quib. iu-  
bet ut Ologueræ medico, & Aluaro Gomecio, liceret vincitos Complutenses visere. Postea  
huius medici relatione, & multorum precibus factum est, ut Toletum in mitiorem custo-  
diam adducerentur: è qua tamen dimissi non sunt, donec per tertias senatus regii literas, vt  
id faceret Siliceus est iussus & coactus. Sed cum ex iuris præscripto id per moras quafdam,  
& dierum interpositiones fieret, ab extremo Decemb. ad Cal. usque Maias, non sine multis  
impensis & molestiis eorum qui afferuabantur, tempus est protractum. Post horum in A-  
cademiam redditum, accidit ut aliquot adolescentes è nostra Academia, scholasticum eorū  
amicum, è vinculis in quibus à Complutensi præfecto tenebatur, etipuerint. Factum id fuit  
carceris postibus effractis: vnde omnes simuli custodiæ fugerunt. Erat tunc Siliceus rebus  
Toletanis, quæ multum negotii & odii crearunt, occupatissimus. Quare Complutum cō-  
quisitorem regium mittendum curauit, qui ea de re in Academiæ ciues seuere animaduer-  
teret. Ob hanc causam, eo anno graue damnum studia passa sunt, scholasticis conqueritoris  
metu mature ad parentes in patriam discedentibus. Tunc antistes intellexit, frustra huius-  
modi regios iudices ad eos mitti, qui nihil prauatarum facultatum, præter libros aliquot, &  
vrceolos, curtamq; aliam supellecilem studiorum gratia possident: qua contempta, facile  
solum vertunt, nullis focus aut liberis relictis. Quin & populus ipse Complut. oppido vacuo  
non mediocrem iacturam fecit. Longe diuersa quam cum aliis præfulibus ratione, Acade-  
mia cum Siliceo contendebat: illi enim Academiæ principatum curabant sibi afferere, vt e-  
uererent: sed Siliceo ad alias res perficiendas Toleti intento, pœnam de scholasticis & A-  
cademiæ patribus quoque modo sumere, sat erat. Complutenses vero cum tam pertinaci  
animi conatu rebus Toletanis incumbentem viderent, neq; se facile ab iis explicaturū cre-  
derent, & insuper apud regium Senatum aliquorum odiis laborare intelligerent, noluerunt  
optimam occasionem prætermittere: sed quod nunquam in animum sub aliis præfulib. o-  
lim induxerant, de duūiris ad causas cognoscendas, more per Antistites abolito reducen-  
dis, qui ex ipsis ciuibus creari solebant, & de hospitiis Pontificiæ familiae denegādis, deque  
Januariis strenis non dandis, apud regium Senatum contra Siliceum postularunt, & omnia  
ad vnum obtinuerunt. Qua de causa Siliceus grauiter offensus, Compluti commoda &  
au-  
thoritatem, ratione sagaciter excogitata, imminuit. Nam conuocatis ad se vicorum Cōplu-  
to subiectorum ditioribus agricolis, vt ius municipiorum apud regium Senatum conseque-  
rentur, effecit, magno Compluti detimento, & Pontificiorum etiam iudicium. Nam plu-  
res quam quindecim vici è territorio Complutensi, municipali libertate fruuntur. Hisce  
difficultatibus occupatus Siliceus, non sine assiduis irarum causis, quæ quotidie in tanta re-  
rum inuidiosarum turba, homini alioqui irritabili, necessario passim occurrerant, calculo  
pariter & vrinæ ardore octogenarium senem atrociter affligentibus, fatis concedere coa-  
ctus fuit. Bartholomæus Miranda Dominicani ordinis sodalis, Siliceo successit, in cuius Pō-  
tificatu Academia competitore carens, quieta pace per hos annos fruitur: nouisq; subinde  
studiorum profectib. exultat. Hæc sunt Philipperex Catholice, quæ de rebus per Fr. Xim.  
Cisnerium gestis scribi curauimus, in Hispaniæ, vel potius in totius orbis gratiam. Sub au-  
gustissimo vero tuæ maiestatis nomine in publ. prodire voluimus, vt auspicatius & tutius  
inter varias orbis nationes versarentur. Simulq; fieret, vt nonnulli magni viri quibus inge-  
tia sunt patrionia, ad Ximenii æmulationem excitarentur. Nam vt nouas vrbes condere,  
& pilis molibusq; in mare iactis, necessarios nauigantibus portus moliri, & magnorum flu-  
minum cursus mutare ne frugibus noceant, aut arua agricolis necessaria occupent, aut quo  
irrigationi sint aptiora, régum sunt potentissimorum opera: sic ad opulentos præsules, & re-  
gulos magnanimos pertinet, Academias iuuentuti erudiendæ, & ædes sacras virginibus a-  
lendis, & hospitia mendicis & valetudinariis hominibus recipiendis construere. Quanquā  
sic noster Ximenius omnes Archiepiscopos & regulos, quotquot illum præcesserunt, aut  
ad nostram usq; ætatem floruerunt, operum magnificentia & amplitudine superauit,  
vt æmuli quoque, si qui forte tantarum laudum exorientur, longo inter-  
vallo sint nostræ Academiæ conditorem se-  
cuturi.

F I N I S .

I N -

INSCRIPTIONES ALIQUOT TAR-  
RACONENSES EX HISTORIA Hispanica  
*Ludouici Pontis Doctoris, &c.*

C. CERÆCIO  
C. FIL. QVIR.  
FVSCO AQVIFL.  
EX CONVENT  
BRACAR. AVG.  
OMNIB. H. IN RE  
P. SVA FVNC.

GENIO  
CONVENT  
ASTVRICENSIS.

AVRELIAE  
MASCVLINE  
EXCLVNIENS.  
FLAMINICÆ.

DEVICTORI OMNIVM GEN-  
TIVM BARBARVM ET SV-  
PER OMNES RETRO PRINCI-  
PES PROVIDENTISSIMO  
IMPE. CÆS. MARCO  
ANTONINO VERO  
INCLIT. AVG. P. M. T. POT  
P. P. COS. II. PRO  
VAL. IVLIANVS. V. P.  
P. P. H. TARRAC. NVMI  
NI MAIESTATIQ. EIVS  
SEMPER DICATISSIMVS.

GENIO COL. I. V. T. TARRAC.  
L. MINICIVS APRONIANVS  
II. VIR. Q. Q. TESTAMENTO  
EX ARG. LIBRIS XV  
40 PONI IVSSIT.

COLONI COLONIAE CON-  
CORDIAE VLPÆ TRAI-  
NAE AVGVSTA. FRVGIFE-  
ER HADRV: METINÆ.

C. CALPVRNIO  
P. F. QVIR. FLACCO  
FLAM. P. HC  
CVRATORI TEMPLI  
50 PRÆFEC. MVRORVM  
COL TARR. EX. D. D.  
CALPVRNIVS FLACCVS  
HONOREM ACCEPIT  
INPENSAM REMISIT.  
H. S.  
ETHEIVS. F. L. COELI  
VS BELLICVS

P. H. C.  
FAVSTINÆ  
IMP.  
ANTONINI  
FILIA

FAVSTINÆ  
AVG.  
IMP. M. AVREL.  
ANTONINI  
AVG.  
D. D.

D. M.  
FACTIONIS VENETÆ FVSCO SA-  
CRAVIMVS ARAM DE NOSTRO  
CERTI STVDIOSI ET BENE A-  
MANTES VT SCIRENT CVNCTI  
MONIMENTVM ET PIGNVS AMORIS  
INTEGRA FAMA TIBI LAVDEM  
CVRSVS MERVISTI CERTASTI MVL-  
TIS NVLLVM PAUPER TIMVISTI  
INVIDIAM PASSVS SEMPER FORTIS  
TACVISTI, PVLCRE VIXISTI, FA-  
CTO MORTALIS CBISTI, QVISQVIS  
HOMO ES QVÆRES TALEM SVB-  
SISTE VIATOR, PERLEGE SI ME-  
MOR ES, SI NOSTI QVIS FVERIT  
VIR FORTVNAM. METVANT OMNES  
DICES TAMEN VNVM, FVSCVS HA-  
BET TITVLOS MORTIS HABET TV-  
MVLVM, CONTEGIT OSSA LAPIS,  
BENE HABET FORTVNA VALEBIS,  
FVNDIMVS INSONTI LACRIMAS NVNC  
VINA, PRECAMVR VT IACEAS  
PLACIDE. NEMO TVI SIMILIS.

D. M.  
EVTYCHETI  
AVRIG, ANN. XXII  
FL, RVFINVS ET  
SEMPER DIOFANS SERVO B, M, F,  
HOC RVDIS AVRIGÆ REQVI-  
ESCVNT OSSA SEPVLCHRO  
NEC TAMEN IGNARI FLEC-  
TERE LORA MANV  
IAMQVI QVADRIIVGOS AÐDEREM  
SCANDERE CVRRVS  
ET TAMEN ABIIVGIS NON  
REMOVERER EQVIS  
INVIDERE MEIS ANNIS CRV-  
DELIA FATA

Ecccc 3 ARVNO BYX  
INVITATE AVDIT

FATA QVIBVS NEQVEAS  
OPPOSVISSE MANVS  
NEC MIHI CONCESSA EST MO-  
RITVRO GLORIA CIRCI  
DONARET LACHRIMAS NE  
PIA TVRBA MIHI  
VSSE ARDENTES INTVS  
MEA VISCERA MORBI  
VINCERE QVOS MEDICÆ  
NON POTVERE MANVS  
SPARGE PRECOR FLORES SV-  
PRA MEA BVSTA VIATOR  
FAVISTI VIVO FORSITAN  
IPSE MIHI.

L. NVMISIO  
L. FIL, PAL,  
MONTANO  
ÆD. Q. II. VIR.  
ITEM. Q. Q. II. VIR.  
EQVO. PVBL. DONATO  
AB IMP. HADRIANO AVG.  
IVDICI DECVR. I  
NVMISIA  
VICTORIANA SOROR  
TESTAMENTO IN FORO  
PONI IVSSIT.

L. SEPTIMIO  
MANNO  
C. V.  
CONCILIVM  
P. H. C.

C. VIRIO  
FRONTONI  
FLAMI  
EX LVCENS  
EX DECRETO  
CONCILII  
P. H. C.

SEMPRONIAE  
FVSCI. F. PLACIDA  
POMPaelonensi  
FLAMINCAE CON-  
SENSV CONCILII  
P. H. C.  
C. CORNELIVS VALENS  
MARITVS  
S. P. F.

CANNIO L. F  
QVIR. FLAVO  
IVLIO BRIGENS  
EX GENTE CANTÀ  
BRORVM  
PROVINCIA HISPA-  
NIA CITERIOR  
OB CAVSAS VTILITA-  
TESQVE PVBLICAS

FIDELITER ET CON-  
STANTER DEFENSAS.

M. FABIO M. F.  
GAL. PAVLINO  
EQVO PVBLICO  
DONATO AB  
IMPE. CÆS. HADRIA  
NO AVG.  
ILERDENSES  
CIVI OPTIMO OB  
PLVRIMAS LIBERALI  
TA IN REM PVBLIC  
SVAM LOCO A PRO-  
VINCIA.

IMPERATO POSVERVNT  
D. D.

Q. CÆCILIO GAL. RVFINO  
Q. CÆCILI VALERIANI. F.  
SAGVNTINO OB LEGATIO  
NEM QVA GRATVITA A-  
PVVT MAXIMVM PRINC. HA-  
DRIANVM AVG. ROMÆ  
FVNCTVS EST  
P. H. C.

L. NVMISIO  
L. F. PAL  
MONTANO  
TARRAC  
OMNIB. HONO  
IN REP. SVA FVNCTO  
FLAMINI. P. H. C.  
P. H. C.

L. ÆLIO.  
IMP.  
ANTONINI  
FILIO.

FORTISSIMO ET CLEMEN-  
TISSIMO.  
IMP. CÆ. M. AVG. CARO  
INVICTO. AVG. P. M. T. COS.  
II. P. P. PROCONSULI.  
M. AVR. VALENTINIANVS  
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG.  
PR. PR. DNM, EIVS.

VICTORIOSISSIMO  
PRINCIPI IVVENTVTIS  
M. AVR. CARINO NOBIL.  
CÆS. CONS. PROCOS  
M. AVR. VALENTINIANVS  
V. C. PRÆ. PROVINC. HISP.  
CITER. LEG. AVG. DEV  
OTVS NVM. MAIFESTATI  
QVE EIVS.

VICTORIOSISSIMO

PRIN-

TARRACONENSES.

1159

PRINCIPI IVV NTVT  
M. AVR. CARINO NOBILIS  
SIMO CÆSARI  
COS. PROCOS M. AVR  
VALENTINIANVS. V. C.  
PRÆSES PROV. HISP. CIT.  
LEG. AVGG. PR. PR. DN. EIVS.

PIISSIMO. FORTISSIMO. FELI-  
CISSIMO. DN. CONSTANTI  
NO MAXIMO VICTORI  
SEMPER AVGUSTO.  
BADVS MACRINVS. V. P. P. P  
H. TARR. NVMINI MAGES-  
TATIQVE EIVS SEMPER  
DEVOTISSIMVS.

M. TULLIO CICERONI

IO M. F  
ROMANÆ FACUND.  
PR NCIP.

QVÆSTÆ DI. COS. PROCOS  
IMPERATORI. P. P.  
ARPINATES

20 M. T. CICERONEM. OB EIVS  
EXIMIAM VIRTUTEM ET  
EGREGIAS ANIMI SVI DO  
TES. PER VNIVERSVM OR  
BEM TERRARVM. SALVVM  
ESSE IVBEO

C. I. CÆSAR.

IMP. CONSTANTINVS IVLIANO.  
V. C. VEL DIC IVLIO VERO PRÆ-  
SIDI TARRACONENSI.

DE VICTORI OMNI-  
VM GENTIVM BAR-  
30 BARVM ET SVPER OM-  
NES RETRO PRIN-  
CIPES PROVIDENTIS  
SIMO IMP. CÆS. MAR  
CO ANTONINO VE-  
RO INCLITO AVG.  
P. M. C. POT. P. P. COS. II.  
PROCOS VALERIUS IV-  
LIANVS. V. P. P. P. H.  
TARRAC. NVMINI  
40 MAIESTATIQ. EIVS  
SEMP. DICATISSIMVS.

MARTI CAMPESTRIS. SAC  
PRO. SAL.  
IMP. M. AVR. COMMOD  
AVG. ET EQVIT. SING.  
T. AVREL. DECIMVS  
LEG. VII. G. FEL.  
PRÆ. P. SIMVL. ET  
CAMP. DEDIC. K. MART  
MAMERT. ET RVFO CONS.

ISIDI, AVG  
SACRVM  
IN HONOREM  
ET MEMORIAM  
IVLIAE SABINA  
CLOD. OSIANA  
MATER.

TVTELÆ  
TARRAC.

HIC REQVIESCIT VIR SANC-  
TISSIMVS CIPRIANVS PRIMA  
SEDIS TARRACONENSIS CI-  
VITATIS EPISCOPVS DEPO-  
SITVS EST IN HVNC TVMV-  
LVM OCTAVO KLAS MAIAS  
IN PACE.

ORN<sup>+</sup> TE EAQE L<sup>+</sup> O<sup>+</sup> VNS<sup>+</sup>  
VER<sup>+</sup> BVS<sup>+</sup> I<sup>+</sup> S<sup>+</sup> NEGL<sup>+</sup> VI<sup>+</sup> VA<sup>+</sup>  
FL<sup>+</sup> BVS<sup>+</sup> SIBI PERPETVO RE-  
MANET<sup>+</sup>

F I N I S.

Ecccc 4

# HISPANIA DAMIANI A GOES EQVITIS LVSITANI.

DAMIANVS A GOES LVSITANVS, PETRONANNIO, LATINO APVD LOVANIEN-  
ses Professori dignissimo, amicoque non vulgari, S. D.

**V**M sapenumero rerum Hispаниcarum mentio inter nos, amantissime Nanni, incidisset, multis argumentis cognoui, te nondum iisdem satiatum, ampliorem earum notitiam è scriptis nostris expectare. Quamobrem optatis tuis parentes, hac tali lege tibi credere voluimus, ut si arriserint, legas, amicisque tuis huiusmodi rerum notitiam cupientibus communices: sin minus, Vulcano tradas. Vale.

# CLARISSIMO EQVITI, E- RUDITIONE ET HUMANITATE INSIGNI, D. DA MIANO A GOES, PETRVS NANNIVS S. P. D.



**I**BELLVM tuum, amplissime Damiane, eo animo accepi, ut si mihi ingens thesaurus oblatuſ fuifet, nec alacrior, nec hilior esse potuſsem. Sunt mihi à te alia præclarā munera, sed nequaquam pari honore estimanda, cum illa tantummodo precii magnitudine dignitatem habeant, iste de ingenii tui præstantia venerationem mereatur. Admirabilis ibi ordo singulaq; res in suas classes diſtributæ sunt, quam rationem scribendi maxime videtur Suetonius ad amasse. Habent in tuo libro singula suam peculiarem stationem: hic Regnorum vires, illic Episcoporum & Satraparum opes describuntur. Habent suum catalogum Sancti Hispani, habent viri eruditii. Duces quoq; bello clari in sua à te legitima acie constituti sunt. Habet merces sua foræ, quæ Hispania vel accipit, vel donat. Deniq; Antipodum munera, quæ duplicitate Hispanorum sunt, vel quod ipsi hunc orbem inuenierunt, vel quod soli inde omnia deportant, in suas apothecas à te digeruntur. Quid multa: nihil omittis quod ad laudem Hispaniæ pertinet. Quamobrem, quæ olim de Hispania legebam, potius admiratione quam fide prosequabar. nunc tua autoritate effici, ut me non amplius admirantem solum, sed & credentem habeant. Non mihi iam figmentum videtur, auro Tagum turbidum fluere, equas ex Fauno subuentaneum fatum concipere, meritoq; mihi fecisse videtur Vespasianus, quod uniuersæ Hispaniæ ius Latii donarit, rectumq; etiam iudicium Plinii existimo, qui Hispaniam censuit proximam esse Italiam laudibus. Enumerantur enim à te innumerabiles opum frugumq; thesauri, ut Plutus & Ceres non alibi quam in Hispania, aut certe peculiariter sedes habere videantur. Obstrepunt hic quadam verba nouitiae, sed fastidioso lectori. aequo enim estimatori non venia, sed laude dignus habeberis, quod res nouas vetustate incognitas, nouis vocabulis, ut intelligi posint, explicueris. In apologia acrior es, sed stimulis de amore patriæ profectis. amabit tuum pectus, quisquis pietatem amat, & patriæ studium inter virtutes adnumerat. Librum igitur tantæ utilitatis, quem tu aut Vulcano tradi, aut amicis tantummodo communicari iubebas, prælo subieci. Nefas enim putavi id intra paucorum manus contineri, quod tanto usui publice esse posset. Quod si singularum prouinciarum eodem modo vires & opes descriptæ essent, magnum profecto instrumentum haberent docti ad historias condendas, quū nerui bellorum pecuniae sint, earumq; inopia vel copia multiplices causas & cladum & victoriarum adferat. Fieri non potest ut quis recte in historia versetur, nisi utriusq; partis opes & copias cognitas habeat, & lectori exponat. quia in re uitiam aliquot Latini scriptores diligentiores essent, eaq; in parte Thucydidem imitarentur. Tantum igitur mihi in rebus tuis, te inconsulto, permisi, nec offendam timui ex hac mea audacia, qui quiduis in Nannio tuo & ferre & probare soles. Nec, ut iniquor sis, ius habes expostulandi, si, quod meum esse volesti, ut ar pro meo arbitrio. Bene vale ampliss. & eruditiss. Damiane. Louanii.

HISPANIÆ, CVIVS NO-  
MINA VARII VARIIS NOMINIBVS AM-  
PLECTVNTVR, HÆC SEQVENS EST AM-  
plitudo, potentia, ubertasque.

**D**E ciuis situ, latitudine, longitudine, atq; poli eleuatione, cum id satis inter Cosmographos constet, nihil hic dicturi sumus: ea autem quæ rariora sunt, explicabimus: nec etiam id tacituri, quod antiqui scriptores testatum olim reliquerunt, eam adhuc auri, argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, omniumq; metallorū fodiniis abundare, necnon argenti viui, salis quoq; vberrimam esse. De frugibus non est quod multum disceptetur cum omnino ferax vini, olei, mellis, lactis, frumenti fructuumque omnium sit. Abundat etiam ouibus bobus, equis generosissimis, piscibus que diuersorum generum. Ferarum quoque &, auium mira copia. Sunt quoq; in ea diuersis in locis calidi & frigidifontes, ad diuersos morbos efficaciam mirabilem habentes.

DIVIDIT VR HISPANIA IN DVODE-  
cim regna, nempe:

Castellæ antiquæ & nouæ.

Valentia.

Leonis.

Toleti.

20 Aragonie.

Gallitæ.

Portugallia.

Algarbiorum.

Nauarræ.

Murtie.

Granatæ.

Corduba.

Quorum regnorū vectigalia, vt pro comperto habetur, magna sunt. nec enim sigillatim quid ex unoquoq; regno Regibus Hispaniæ accrescat, auderem dicere, cū dubitē, id ne eis gratū futurū sit, an nō. Sed hoc scito, Reges istius Hispaniæ, quæ à nōnullis imperitis hominibus satis temere sterilis nuncupatur, annue ultra quinquagies centena millia ducatorum aureorū, præter exactiones, inde accipere.

**D**E regnis diximus, modo ad clerum veniamus. In cuius redituū computu Luciū Mairinum Siculum sequemur, qui facilius id quam Principum Hispaniæ prouentus, explicuit.

Archiepiscopus Toletanus, Castellæ Cancellarius,  
habet annue plus minus 150000 aureorum du-  
catorum, habet etiam in suis familiares con-  
ferendos circiter 100000

Episcopus Leonensis 8000

Archiepiscopus Hispanensis 24000

Episcopus Calahorenſis 1000

Archiepiscopus S. Iacobi 20000

Episcopus Salmanticensis 10000

Archiepiscopus Granatensis 10000

Episcopus Badaicensis 6000

E P I S C O P I A.

Episcopus Ouidensis 6000

Episcopus Burgensis 20000

Episcopus Carthaginensis 5000

Episcopus Siguntensis 20000

Episcopus Asturicensis 4000

Episcopus Cunquensis 16000

Episcopus Coriensis 8000

Episcopus Placentinus 15000

Episcopus ciuitatis Rodriguezis 4000

Episcopus Palentinas, Comes Perniensis 13000

Episcopus Malagensis 10000

Episcopus Iaenensis 16000

Episcopus Calixensis 8500

Episcopus Segouensis 14000

Episcopus Guaditanus 2000

Episcopus Auillensis 8000

Episcopus Almeriensis 1500

Episcopus Zamorensis 12000

Episcopus Mondonensis 1500

Episcopus Cordubensis 12000

Episcopus Canariensis 8000

50 Episcopus Osinensis 10000

Archiepiscopus Caragucensis 20000

Archiepiscopus Valentinus 13000

Episcopus Vrgellenſis 7000

Archiepiscopus Tarragonensis 8000

Episcopus Vicquensis 2500

Episcopus Tarracomensis 5000

Episcopus Eunensis 1500

Episcopus Huesensis 3000

Episcopus Pamplonensis 6000

Episcopus Segorbiensis atq; Albarracinensis 3000

Sunt & alij permulti Episcopi nouarum prouinci-

Episcopus Barchinonensis 5000

iarum, Indiarumq; Occidentalium, nuper in-

Episcopus Leridenſis 5000

uentarum, ex collatione sine iure patronatus

Episcopus Tortosensis 8000

quog; Regis Castella, quos hic non exprimo.

Episcopus Gironensis 4000

D A M I A N I A G O E S .  
R E G N O R V M P O R T V G A L L I A E E T  
A l g a r b i o r u m .

<i>Archiepiscopus Bracharēsis, qui propter antiquitatem cum Toletano Archiepiscopo ad hunc diem usq; de primatu (ut vocant) totius Hispaniae discepit, habet</i>	<i>24000</i>	<i>Episcopus Viseensis</i>	<i>3000</i>
<i>Archiepiscopus Vlyssipponensis</i>	<i>16000</i>	<i>Episcopus Guardensis</i>	<i>5000</i>
<i>Archiepiscopus Funchalensis</i>	<i>8000</i>	<i>Episcopus Colimbiensis</i>	<i>12000</i>
<i>Episcopus Eborensis</i>	<i>20000</i>	<i>Episcopus Portensis</i>	<i>4000</i>
		<i>Episcopus Lamecensis</i>	<i>6000</i>
		<i>Episcopus Syluensis</i>	<i>4000</i>
		<i>Episcopus Cæptensis</i>	<i>2000</i>

Præter hos sunt adhuc alii Episcopi Indiarum Orientalium, Africæ & Æthiopiæ, & multarum insularum ex collatione Regis Portugalliaæ, quos hic prætereo. Volui autem hic omnes Episcopales ciuitates Hispaniæ mihi saltem cognitas, cum putem adhuc plures esse, propriis huius temporis nominibus, ob maiorem cognitionem, recensere. Sciendum quoque, omnis Hispaniæ cleri prouentus (Abbates exceptio) duplo maiores, quam Episcoporum esse. Idq; præter aliquot decimas & primitias, quæ in multis locis Regibus atq; magnatibus, ex Pontificum indulxit, colliguntur. Ex quibus quidem redditibus iure omnes simul tenentur vnicuiq; ecclesiæ suum animarum curatum, vt aiunt, siue pastorem alete, qui ex pacto & consuetudine, omnia ecclesiæ sacramenta populo gratis, siue in templo, siue extra templum, siue in priuatis domibus, administrat. Quod utinam in cæteris prouinciis fieret, vbi ita pastoratus venduntur, vt pastores pro vita alimento, ac pensione soluenda, sacramentorum administrationem sæpe inuiti cogantur nundinari. Est præterea innumera Abbatiarū & monasteriorum copia, quarum prouentus non solum cleri redditus æquant, sed etiam superant, inter quas sunt nonnullæ habentes decem, duodecim, quindecim millia ducatorum annue: permultæ inter quatuor & decem millia fluctuāt: innumeræ rursus ab hac summa declinant: ita tamen, vt sine aliqua controuersia ii qui se cultui diuino dedere, habeant in Hispania singulis annis ultra quadragies centena millia ducatorum, præter id quod Commendatarii & eorum magistri possident, quæ summa etiam ingens est. Ex quo facile apparet, quam religiosi semper fuerint Hispani, & quam dediti cultui diuino, cum tam liberaliter suas eleemosynas Christi ecclesiis impariti sint. Habet ulterius regnum Castellæ quatuor Magistros equitum, seu (ut vocant) ordinum, qui magnos admodum habent redditus.

Quorum primus S. Iacobi est.

Secundus, Calatrauæ.

Tertius, Alcantaræ.

Hæc tria officia dignitatum, temporibus Ferdinandi & Elizabeth catholicorum Regū Castellæ, cum consensu Pontificis ad coronam regni deuoluta sunt. Quartus est Magister equitum Rhodiensium, ordinis diuini Ioannis. Ordo sancti Iacobi ornatur duobus commendatariis primis, quorum unus dicitur Commendatarius maior Castellensis, alter Leonensis, Ordines Alcantaræ & Calatrauæ, habent singuli suum Commendatarium maiorem & suum clauigerum, sub quibus maioribus commendatariis ingens commendatariorum equitum est copia, habentium magnos redditus. Aragoniæ, Valentia, & Catellonia regna unum habent equitum magistrum ordinis Montesilæ, magnos quoq; habentem redditus.

O R D I N E S R E G N O R V M P O R T V G A L L I A E E T  
A l g a r b i o r u m .

Primus est magister ordinis Christi, qui magister ipse Rex est, eius ministerii prouentus admodum magni sunt, inde, quod huic ordini omnes prouinciæ inuentæ, tam in Africa quam in Asia & Brisilia, cum omnibus insulis, atq; Orientalis Indiæ, annexæ sint.

Secundus est ordinis sancti Iacobi.

Tertius ordinis, qui de Anis dicitur.

Habent quoq; hi ordines suos maiores Commendatarios & Clauigeros, sub quibus etiam est magna equitum Commendatiorum copia magnos redditus possidētum. Quartus est Magister equitum Rhodiensium, ordinis sancti Ioannis, qui Prior à Crato dicitur, qui tres magistri magnos etiam redditus possident.

M A G N A T V M H I S P A N I A E I N D E X .

Et primum de regnis Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, Valentia, Toleti, Gallitiæ, Murtiæ, Cordubæ.

Princeps

Princeps Asturiarum.  
 Dux de Arsona.  
 Comes stabilis Castellæ, Dux Friensis, primus  
   Regis cubicularius.  
 Archithalassus Castellæ & Granatae, vulgo Ami-  
   raldus, & Dux de Medina, de Rio Sequo.  
 Dux de Beiar.  
 Dux de Scalona.  
 Dux de Medina cali.  
 10 Dux de Medina Sidoniae.  
 Dux de Arcos.  
 Dux del Infantazgo.  
 Dux de Alua.  
 Dux de Naiara.  
 Dux de Maqueda.  
 Dux de Albuquerque.  
 Dux de Cardona, Comes stabilis Aragonie.  
 Dux de Segorue.  
 Dux de Gandia.  
 20 Dux de Villaformosa.  
 Dux de Luna.  
 Archithalassus Aragonensis Marchio.  
 Dux de Sauiote.

## M A R C H I O N E S.

Marchio de Oristan.  
 Marchio de Gotiano.  
 Marchio de Villena.  
 Marchio de Astorga.  
 30 Marchio de Tarifa.  
 Marchio de los Velez.  
 Marchio de Zenete.  
 Marchio de Comares.  
 Marchio de Aiamonte.  
 Marchio de Gibraleon.  
 Marchio de Moya.  
 Marchio de Logolludo.  
 Marchio de Zaara.  
 Marchio de Sentillana.  
 40 Marchio de Marchena.  
 Marchio de Coria.  
 Marchio de Elche.  
 Marchio de Cuellar.  
 Marchio de Lombay.  
 Marchio de Molina.  
 Marchio de Mondejar.  
 Marchio de Poza.  
 Marchio de Denia.  
 Marchio de Alcanisas.  
 50 Marchio de las Nauas.  
 Marchio de Tanara.  
 Marchio de Cerralvo.  
 Marchio de Cagnete.  
 Marchio de Villanona.  
 Marchio de Montemaior.  
 Marchio de Graial.  
 Marchio de Villa Franca.  
 Marchio de Monte Clares.  
 Marchio de Sarria.

Marchio de Aquilar.  
 Marchio de Barlangua.  
 Marchio de Camarassa.  
 Marchio de Pliego.  
 Marchio de Falces.  
 Marchio de Cortes.  
 Marchio de Valle.  
 C O M I T E S.  
 Comes Catalonie.  
 Comes de Roisillon.  
 Comes de Lampurdam.  
 Comes de Pincerdam.  
 Comes de Vrgel.  
 Comes de Benauente.  
 Comes de Vregna.  
 Comes de Feria.  
 Comes de Cabra.  
 Comes de Velalcacer.  
 Comes de Miranda Castellæ.  
 Comes de Salinas.  
 Comes de Ribagorza.  
 Comes de Lemos.  
 Comes de Oropesa.  
 Comes de Alcandet.  
 Comes de Medellin.  
 Comes de Syrnela.  
 Comes de Real de Mancanares.  
 Comes de Saldagina.  
 Comes de Melga.  
 Comes de Haro.  
 Comes de Vaninares.  
 Comes de S. Stephano de Gormaz.  
 Comes de Niebla.  
 Comes de Valentia.  
 Comes de Treuigno.  
 Comes de Ledesma.  
 Comes de Altamira.  
 Comes de Pallares.  
 Comes de Ampurias.  
 Comes de Lerin, Comes stabilis Nauarrensis.  
 Comes de Traistamara.  
 Comes de Tendilla.  
 Comes de Lerma.  
 Comes de Villalua.  
 Comes de Castanneda.  
 Comes de Osono.  
 Comes de Ribadeo.  
 Comes de Castro.  
 Comes de Astudillo.  
 Comes de Nien.  
 Comes de Aquillar.  
 Comes de Ognate.  
 Comes de Saluaterra.  
 Comes de Paredes.  
 Comes de Monteret.  
 Comes de Orgaz.  
 Comes de Ribadavia.  
 Comes de Pliego.

*Comes de Luna.*  
*Comes de Monte agudo.*  
*Comes de Coregna.*  
*Comes de Fuen Salida.*  
*Comes de Cifuentes.*  
*Comes de Aluadelista.*  
*Comes de Benalcazar.*  
*Comes de Sancta Martha.*  
*Comes de Buendia.*  
*Comes de Teua.*  
*Comes de Palma.*  
*Comes de Vagnares.*  
*Comes de Palamas.*  
*Comes de la Deleitoza.*  
*Comes de Miranda Nauarra.*  
*Comes de Baylen.*  
*Comes de Gelues.*  
*Comes de Olinares.*  
*Comes de la Puebla.*  
*Comes de Sancto Stephano, del Puerto.*  
*Comes del Castellar.*  
*Comes de Cocentaina.*  
*Comes de Albaida.*  
*Comes de Aranda.*

*Comes de Olina.*  
*Comes de Gallada.*  
*Comes de Fuentes.*  
*Comes de Belchis.*  
*Comes de Saflago.*  
*Comes de Morata.*  
*Comes de Lagumera.*  
*Comes de Quirre.*  
*Comes de Aithona.*  
*Comes de Almenara.*  
*Comes de Puro enrostro.*  
*Comes de Chinchon.*  
*Comes de Baraias.*

## V I C E C O M I T E S.

*Vicecomes de Altamira.*  
*Vicecomes de Chelua.*  
*Vicecomes de Peralda.*  
*Vicecomes de Ebol.*  
*Vicecomes de Bas.*  
*Vicecomes de Blanes.*  
*Vicecomes de Valduerna.*  
*Vicecomes de Gaiano.*  
*Vicecomes de Sterlie.*

P O R T U G A L L I A E M A G N A T E S E T  
Algarbiorum.

*Comeſtabilis, qui nunc eſt infans Ludouicus, Regis frater, ac Praefectus regnorum confinium, qui vulgo Fonteiro maior dicitur. Is enim Ludouicus magiſter quoq; equitum Rhodiensiſum eſt.*  
*Dux Brigantie.*  
*Dux Colimbiensis.*  
*Dux Viſeensis.*  
*Dux Trancosensis.*  
*Dux Earcelensis.*  
*Dux Aueriensis.*

**M A R C H I O N E S.**  
*Marchio de Villa Real.*  
*Marchio de Tores Nouas.*  
*Marchio de Monte Maior.*  
*Marchio de Ferreira.*

**C O M I T E S.**  
*Comites de Marialua.*  
*Comes de Tentugal.*  
*Comes de Penella.*  
*Comes de Alcontin.*  
*Comes de Portalegre.*

*Comes de Feira.*  
*Comes de Lonle.*  
*Comes Monſancto.*  
*Comes de Faro.*  
*Comes de Arganil.*  
*Comes de Abrantes.*  
*Comes de Vimioso.*  
*Comes de Villa noua.*  
*Comes de Linhares.*  
*Comes de Vidigeira, Nauarchus, vulgo Amiral-*  
*dus.*  
*Comes de Sortelha.*  
*Comes de Caſtanheira.*  
*Comes de Prado.*  
*Comes de Redondo.*  
*Vicecomes de Lyma.*  
*Regni Archibalaffus, vulgo terra Amiral-*  
*dus.*  
*Baro de Alvito.*  
*Rector, sive Praetor, omnium regnorum, vulgo*  
*Regedor.*

*Hi Hispanię magnates mihi tantum cogniti sunt, puto adhuc alios extra meam notitiam esse, quos hic adiungat, quisquis eos me melius nouerit. Quorum prouentus viritim nō ex-primo. Id enim curiosus lector apud Lucium Marinęum Siculūm requirat, qui rem non o-mnino infeliciter tentauit. Ego autem perspiciens cum quibusdam istorum Principū plus, aliis minus diuitiarum, quam possident, tribuere, & sciens quam difficile sit alienas facultates ad vnguem enumerare, volui potius silere, quam rem non satis appensam euulgare: id etiam veritus, iisdem ipsis principibus non satis placitum iri huius rei singularem propalationem. Inter quos autem (nomina fileo) aliquot sunt (vt verissimum eſt) centum, octo-ginta, septuaginta, sexagintaque millia ducatorum aureorum annue possidentes: non pau-ci quin-*

ci quinquaginta, quadraginta, triginta: multi viginti, quindecim, decemque. Ceteri omnes  
hac summa inferiores, ad minimum trium millium redditus habent. Sic, ut sine mendacio  
afferere quis possit, Hispaniae magnatum annuos prouentus vigesies centena millia duca-  
torum attingere, vel ultra. Sunt præterea in Hispania non pauci nobiles titulis, vel dignita-  
tibus obscuri, decem, quindecim millia ducatorum annue habentes, estq; aliorum ingens  
numerus, qui à millibus ad decem millia ducatorum vsq; annue possident. Sunt etiam Re-  
guli, quos pastores Hispani vocant, triginta, quadraginta, millia ouium, & magnam boum,  
equorum, mulorumque multitudinem possidentes, quorum familiæ amplissimæ sunt. Ex  
quo apparet non frustra dictum, in Hispania talentari precio arietes admissarios emi, afi-  
nos quoq; admissarios, & asinas ad foecuram, &c. seftertiis.

Ornatur etiam Hispania maximo Sanctorum numero, quorum Martyrum tantum In-  
dicem hic scribere nobis non indignum visum est, ceteros propter prolixitatem omitti-  
mus.

S. Vincentius.	S. Cerinius.
S. Laurentius.	S. Beturius.
S. Victor.	S. Felix III.
S. Fronto.	S. Aquilinus.
S. Iustinius.	S. Lætarius.
S. Apodonius.	S. Ianuarius III.
20 S. Linxius.	S. Florentius.
S. Successus.	S. Fructuosus.
S. Faustus.	S. Augurius.
S. Martianus.	S. Eulogius.
S. Vrbanus.	S. Claudius.
S. Publius.	S. Lupercus.
S. Matutinus.	S. Victorius.
S. Castianus.	S. Emetherius.
S. Felix.	S. Celedonius.
S. Ianuarius.	S. Eugenius, primus Archiepiscopus Toletanus.
30 S. Primitius.	S. Zoilus.
S. Quintilianus.	S. Eugratia.
S. Enotus.	S. Leocadia.
S. Cecilianus.	S. Eulalia.
S. Frontonius.	S. Christeta.
S. Optatus.	S. Sabina, sorores S. Vincentii.
S. Seruandus.	S. Iulitta, mater S. Cerici.
S. Germanus.	S. Digna.
S. Facundus.	S. Generosa.
S. Primitius fratres.	S. Beffa.
40 S. Felix II.	S. Donata.
S. Cericus.	S. Secunda.
S. Anastasius.	S. Eurogia martyr & virgo.
S. Faustus II.	S. Centolla.
S. Ianuarius II.	S. Helena.
S. Martialis.	S. Nunilonia.
S. Speratus.	S. Alodia, sorores.
S. Natalius.	

Hi omnes Christi Martyres, ut ex eorum vitiis apparet, fuerunt. Est autem aliorum in-  
gens copia, quam, ne lectoribus tædio simus, prætermittendam duximus.

50 Habet hoc tempore Hispania has vniuersitates, opulentia & professorum eruditione ce-  
lebres:

- |                  |                  |
|------------------|------------------|
| 1 Salmantensem.  | 5 Siguntinensem. |
| 2 Complutensem.  | 6 Oscensem.      |
| 3 Colimbriensem. | 7 Ilerdensem.    |
| 4 Pincianensem.  |                  |

Q V I B V S   V I R I S   D O C T R I N A   P R Æ C L A-  
ris Hispania quoq; fulget, accipe.

Fronto præsul & Martyr.

Fulgentius Præsul & Martyr.

Fffff

- Audentius Praeful.*
- Ioannes Praeful.*
- Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis.*
- Sanctus Leander Auchiepiscopus Hispalensis.*
- Colompius Praeful.*
- Pacianus Barchinonensis Episcopus.*
- Puulinus Praeful.*
- Sanctus Victor Praeful.*
- Vilerius Praeful.*
- Antonius Praeful.*
- Sanctus Vincentius Martyr.*
- Zoilus Martyr.*
- Sanctus Dominicus Calaguritanus, ordinis Predicatorum author.*
- Matorianus vir praeclare doctus.*
- Auitus presbyter.*
- Sanctus Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus.*
- Sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, cuius meminit Magister sententiarum libro quarto.*
- Sanctus Antonius Vlyssipponensis, qui Paduanus dicitur.*
- Paulus Episcopus Burgenensis, vir praeclare doctus, & Iudeus natione, sponteq; Christianus factus scripsit non pauca theologia, nec indocta.*
- Tostatus Episcopus Ebulenensis, scripsit in nouum & vetus instrumentum.*
- Rabbi Abenezra doctissimus Iudeus, magnus Theologus.*
- Rabbi Moyses Iudeus Theologus & Medicus insignis.*
- Rabbi David Chimbi, insignis Theologus.*
- Moyses Cordubensis Theologus Iudeus.*
- Rabbi Camora Theologus.*
- Hugo de Folieto.*
- Arnoldus de Villa nova, Raimundi Lulli predecessor.*
- Raimundus Lulus.*
- Aquilius Senerus.*
- Gualerus.*
- Ioannes Toletanus.*
- Iuuentius Cardinalis.*
- Vincentius Monachus.*
- Duo fratres Coroneles, insignes Theologi.*
- Franciscus Ximenius, Cardinalis, qui Academiam Complutensem instituit.*
- Sotion Philosophus Peripateticus.*
- Anicenna Medicus praeclarus & Philosophus.*
- Auerois quoque Medicus & Philosophus.*
- Rasis Almanzor.*
- Mesalac Medicus Astrologus.*
- Habramus Astrologus.*
- Albumazar Astrologus.*
- Cacutus Iudeus Lusitanus, magnus Astrologus.*
- Fortunius Gratianus Iurisconsultus, cuius opera rara, sed absolute scripta extant.*
- Alfonsus Rex Castella, huius nominis decimus, Romanorum Imperator, magnus Astrologus.*
- Henricus Infans Portugallie, Mathematicus insignis, qui primo novas terras suo studio & industria reperit.*
- Seneca Orator magnus, & Philosophus Stoicus.*
- Anneus Gallion Seneca, Senecæ frater.*
- Lucius Anneus Seneca Tragicus, Annei Gallionis Seneca filius, Senecæque oratoris nepos.*
- Columella.*
- Dexter.*
- Theodosius Cæsareensis.*
- Iulus Higinius.*
- Portius Latro, Orator insignis.*
- Lentus Cornelius praefectus Cæsaris.*
- Paulus Orosius.*
- Quintilianus Orator insignis.*
- Pomponius Mela.*
- Iustinus historicus.*
- Lucius Latianus Orator.*
- Senarius.*
- Silius Italicus.*
- Henricus Marchio de Villena, magnus magicus.*
- Ioannes Ludouicus Viues Valentinus, Orator.*
- Damasus Poutifex maximus, insignis Poeta.*
- Aurelius Prudentius Poeta.*
- Iuuenius Poeta.*
- Arator Poeta.*
- Sedulius Poeta.*
- M. Anneus Lucanus, L. Annei Mela filius, qui Mela frater Seneca & Gallionis fuit.*
- M. Valerius Martialis.*
- Sextilius Hanna Poeta.*
- Ruffus Festus Antenius Poeta.*
- Dec. Iunius Iunemalis oriundus ex Aquino Volscorum.*
- D. Georgius Nanrique Poeta insignis.*
- Henricus Caradus Poeta Lusitanus & Menesius de quib. Erasmus in suo Ciceroniano meminit.*
- Laurentius à Caceres Lusitanus, Poeta & vir non vulgariter eruditus.*
- Ioannes de Mena Poeta.*
- C. Iulius Higinius Augusti libertus, Grammaticus insignis.*
- Antonius Nebrissensis eximius Grammaticus, & variae eruditionis vir, ut Erasmus in suo Ciceroniano testatur.*
- D. Garcius Lasso à Vega, Poeta insignis.*
- Alfonsus Verneius Episcopus Canariensis, Theologus insignis.*
- Gomeffius peritus iuris, scripsit super Instituta.*

Hi omnes, præter alios nonnullos, quos, cum adhuc viuant, silentio prætereo, Hispani fuere: ex quo appareat, nostrates non tam infeliciter discere, nec verbositate & simulatione sapientiam ostentare, vel tam multis hominibus & consuetudinib. barbariem colere, quam Munsterus in suo nouo Ptolemaeo prædicat, ubi ad imitationem cuiusdam Michaelis Villanouani, hominis mihi incogniti, & hac in re non mediocriter lapsi, Hispanorum & Galorum

Iorum comparationem induxit. Puto eum, cum Basileę profiteatur, Gallis, ad quos reliqua Basilea spectat, excepta tertia ferme parte, quā secundum Rhenum Germaniæ adhæret, potius quam Hispanis ab blandiri voluisse. quamobrem ut doceat ita esse, quod dicit, opus est, ut nobis de promat vel vnum Senecam, Quintilianum Portium Latronem, Auicennam, Lucanum, Prudentium, Iustinum, Columellam, Orosium, Melam, Silium, Martialē, Iuuenalem, & alios istis similes, & tum damnet Hispanicam indolem, eamque Gallicis & Germanicis ingeniiis postponat. Quod si nec Germani, nec Galli istos, quos supra recitaui, viros ad sequent (Erasmus & Budæum excipio) quid est quod con uitum nostræ genti de stupore faciat? Fateor aliud seculum alio florentius, nec nunc esse laudem eam eruditio nis quæ olim Hispaniæ fuit, nō tamē bruta est illa terra, quæ talia ingenia produxit, nec quia aliquandiu talia non produxit, in omne ævum effœta habēda est. Quod si nunc nō tot chartas obliniunt Hispani, quot nonnulli faciunt, nec edendis alienis libris plagium committūt, nihil deteriores illis qui se furtis librorum venditant, existimandi sunt. Edunt fortasse Hispani pauca, sed edunt sua, nec falsarii hac in parte, nec fures, estq; nobis ista modesta scribendi ratio cum Italibus communis. Non incessu ullam gentem, quorundam vitia tantum attingo, & qui de vitiis suis, genti suæ gloriam, aliis nationibus probrum concinnant. Habuit hac tempestate Gallia Budæum, & Fabrum Stapulensem, & alios viros doctos, sed habuit. Conuixerunt etiam istis nonnulli Hispani illorum eruditione non plane inferiores, quanto nomina, cum cognita sint, prætereo. Habuit quoque Germania Erasmus, sed habuit: 20 habuit Longolium, ambos Batauos, quam prouinciam nonnulli nec in Germania, nec in Gallia constituunt. Sed sit Germaniæ vel Galliæ, fuerunt isti viri ornamenta incomparabilia suarum gentium, sed fuerunt ita nobis quoq; Quintiliani, Senecæ, aliquique innumeris fuere. Præteriti temporis est, quod utroque pro gloria iactatur, nisi nobis allegent Philippum Melanchthonem, colum Germaniæ. Fateor eum hoc tempore cum illis antiquis Hispanis in arenam descendere potuisse, si se Theologæ ac fidei negotiis non implicuisset, quibus dum incumbit, contabescunt studia illa, ob quæ nostro æuo inclaruit. Nec defuissent Hispaniæ ab hinc annis plus mille præclara illa ingenia, quæ semper enutrire solita fuit illa prouincia, si à Gothis, Alanis, Saracenisque in cultis hominibus, ab omnique genere disciplinarum abhorrentibus, non fuisset tam diu occupata. nunc vero hac barbarie utcunq; expulsa, non dubitet Munsterus, quin Hispani posthac, ad laudem eruditio nis non segni gressu sint progressuri.

*Longolius. Se ex  
quadam epistola  
Erasmi ad  
hunc nostrum  
Damianum à  
Goes apparet pri  
rus putus Hol  
landus est, Scho  
nianus.*

## INDEX DVCVM HISPANIÆ.

- Viriatus Lusitanorum Dux, cuius facinora Romanorum historia late prædicant.
- Megara Dux Numantiorum, Romanorum temporibus præclarus, ut testatur L. Florus lib. 2. cap. 18.
- 40 Rex Pelagius qui ob vita sanctitatem, Dei miles vocabatur. Is enim Hispaniam Cantabricam à Maurorū incursionibus immunem fecit, eosq; ex regno Legionis, ciuitate accepta, expulit.
- Bernardus à Carpe, Dux præclarus & vir eximus, qui Carolum Magnum Imperatorem & duodecim Franciæ Pares apud Roncesvalles deuicit, quanquam Gallorum Annales Hispanis hanc victoriam denegent.
- Ferdinandus Gonzales, Comes Castelle eius que nunc regnum est, & antiqua Castella vocatur, in cuius historia late patet, quantæ virtutis vir fuerit, atq; filius eius Gartias Ferdinandus & Santius nepos.
- Rodericus Diaz de Biuar, cognomento Gid, qui bonam partem Hispaniarum ex tyrannide Maurorum liberavit, cuius nomen inter Mauros terribile, & magna venerationis fuit.
- Ferdinandus cognomento Sanctus, Rex Castelle qui ex Vandalicia, mira virtute Mauros fuga-
- uit, prouinciamq; sibi obtinuit.
- Iacobus Rex Aragonie, qui regnum Valentia & Baleares insulas à tyrannide Maurorum liberavit.
- Alfonsus primus Rex Lusitanie, qui ex toto ferme regno Mauros expulit, cuius gesta magis videantur diuina, quam humana.
- Ioannes huius nominis primus, Rex Lusitanie, qui cum inops & abjectus esset, propria arte & virtute, Castellanis, maioreq; parte Lusitanorum etiam reluctante, totum regnum sibi vedi cavit.
- comes Nonius Aluarez Pereira Lusitanus, qui Regis temporibus vixit, cuius insignia gesta historia nostræ late prædicat, vir sane magnanimus, & supra hominum vires in bello strenuus, ex quo Duces Brigantiae originem suam ducunt.
- Ferdinandus Infans Castelle, qui postea fuit electus Rex Aragonie, qui miras victorias contra Mauros in ipsa Hispania obtinuit, ut testantur historie.
- D. Franciscus ab Almeida Lusitanus, qui in genti classè Babylonia Sultani atq; multorum India Orientalis Regum deuicta, Turcas ex ipsa

*India expulit, cuius Ludovicus Ro. in suo itinerario amplam facit mentionem.*

*Alfonsus de Alburquerque Lusitanus, qui ferme totam Orientalem Indianam sub imperium nostrum reduxit.*

*Ferdinandus à Valle, Marchio de Pescara, qui Gallos apud Ticinum debellavit, eosq; ex Italia fugavit, quo in p̄le Frāscus Gallorum Rex interceptus fuit, & in Hispaniam captivus adductus.*

*Ferdinandus Cortesius, Marchio de Valle, qui in Indiis occidentalibus magnam Temystitam ciuitatem & regnum, non sine incredibili admiratione regno Castellæ edomuit.*

*Franciscus Picarrus, qui in ipsis Indiis occidentalibus Imperatorem Atabalipā deuicit, & supplicio tradidit. eiusq; ditiones atq; aliorū principum sub Castellæ imperium redegit.*

*Antonius à Leiva, vir præclarus, qui arte & virtute Italos s̄pē armis superauit, & pondus tueri, contra ipsorum Italorum ac Gallorum*

*potentiam Mediolanensem Ducatum ad extrema usq; suspiria sustinere valuit.*

*Antonius à Sylueira Lusitanus, qui postremo apud Dium Turcas ex India Orientali iterum profligavit, & magnum Cambaia regnum Lusitanis subiecit.*

*Goncallus Ferdinandus Cordubensis, qui regnum Neapolitanum nostris temporibus edomuit, idq; sub imperium Hispaniarum redegit.*

*Eduardus Pachecus, vir Lusitanus, qui aduersus Regis Calecutii potentiam, prolixum cruentum bellum gesit, in quo diuersas & incredibilis victorias obtinens, ipsum Regem fuga saltem petere coegit.*

*Habuit & habet Hispania alios præclaros Duces, quos prætermitto, & hos tānū, qui virtute cū Cæsare & Alexandro certare posint, pono.*

*Videtur etiam Hannibal potius Hispanus, quam Pœnus fuisse, si Floro fides aliqua est, cum libro 2. cap. 6. afferat, ipsum Hannibalem alitum, e- ducatum, & enutritum fuisse in Hispania.*

### IMPERATORES GESTIS PRÆCLARI nati & oriundi Hispani.

*Vespasianus.*

*Titus Vespasianus.*

*Nerua.*

*Traianus.*

*Adrianus.*

*M. Antoninus philosophus.*

*Theodosius Magnus.*

*Arcadius.*

*Honorius.*

*Theodosius Minor.*

Vernacula, quæ nostra tempestate ex Hispania in Galliam, & alias prouincias adferuntur, hæc sunt, nec scitu indigna, præter non pauca, quæ cum in ipsa prouincia his temporibus absumentur, vt puta frumentum, argentum, cuprum, plumbum, glastum, tubia tintorum, gossipium, & multa alia, vel quod magni momenti non sint, in ipso catalogo referre noluimus. Vehuntur nauigio Brugas ciuitatem Galliæ Belgicæ, singulis annis quadraginta millia lanæ sarcinarum, quas saquas vocant, quarum unaquaq; vt minimum precium vingtι ducatorum aureorum, vel & quat, vel superat. In Italiā quoq; ac in alias Galliæ ciuitates, viginti ferme millia sarcinarum vehuntur, quarum quæ in Italia consumuntur, quod selectioris lanæ sint, quadraginta, quinquaginta ducatis aurcis singulæ venduntur. Sericū & panniserici, quæ tam in Galliam, quam in Italiā, Angliam, aliasq; prouincias evehuntur, precio innumerabili constant.

Deferuntur etiam, vt summatim dicam, ex Hispania in Galliam, Belgicam, & alias prouincias vina multorum generum.

*Oleum.*

*Saccarum.*

*Cera.*

*Mel.*

*Oriza.*

*Crocum.*

*Vvæ passæ.*

*Ficus passæ.*

*Sal.*

*Alumen.*

*Murex, siue purpura.*

*Coccum.*

*Smegma, siue sapo.*

*Mala Medica, siue aurea.*

*Mala Citria.*

*Mala Granaata, siue Punica.*

*Cydonites, siue (ut barbare dicitur) codignatum.*

*Oliuæ condite.*

*Limones.*

*Cappara.*

<i>Prunapassa.</i>	<i>Gagates.</i>
<i>Amygdala.</i>	<i>Iaspis.</i>
<i>Pinei.</i>	<i>Alabastrum.</i>
<i>Castanea.</i>	<i>Corallum.</i>
<i>Glyciryza.</i>	<i>Coria hircina.</i>
<i>Anisum.</i>	<i>Spartum.</i>
<i>Carnis.</i>	<i>Pelles multorum animalium ad vestes suffulcendas.</i>
<i>Anethum.</i>	<i>Aurum.</i>
<i>Cuminum.</i>	<i>Ferrum.</i>
<b>10</b> <i>Corianon, sive Coriandrum.</i>	<i>Chalybs.</i>
<i>Thymni saliti.</i>	<i>Stannum.</i>
<i>Balane salitæ, atq; earundem oleum.</i>	<i>Minium</i>
<i>Suberum codex.</i>	<i>Argentum viuum.</i>
<i>Galla.</i>	<i>Fructus quoque diuersorum generum saccharo conditi.</i>
<i>Bacca laurina.</i>	
<i>Hyacinthi.</i>	

P R O H I S P A N I A A D V E R S V S  
M V N S T E R V M D E F E N S I O .

20

**E**X hoc, charissime Nanni, videre est Hispaniæ fertilitatem, quam hisce verbis Munsterus, egregius Michaelis Villanouani imitator, ad Galliæ comparationem ita describit. Qua in re facit, ut suspecti iudices, inuidia, vel muneribus, vel odio obcæcati, soliti facere sunt, qui vera cum intelligent, falsa tamen pronunciant, dum inquit in suo Ptolemæo, ut eius verba referam: Mercatores ex Hispania in Galliam deferunt sericum, & omnis generis pannos, lanas, crocum, saccarum, orizam, oleum, alumen, grana tinctorum, &c. ex Gallia in Hispaniam frumentum, lineas telas, filum, pastel, libros, & minutiora alia mercimonia plurima, ut gladios, specula, acus. Concedamus Galliam mittere frumentum (quoniam id raro contingat) cum potius id Germaniæ Orientali debeatur, cuius frumentum nauibus Batauorum ad littoralem Hispaniam, eamq; Oceano attiguam subuehitur. Hi enim inuestitia annona ab hinc annis 25. plus minus usq; sunt. Ad mediterranea Hispaniæ exoticum frumentum non peruenit, certe pro singulis culeis ex Gallia, singulæ holcades frumento onustæ ex Hollandia appulerunt. Tamen demus hoc Munstero & præceptoris suo Villanouano, ut vera sint quæ dicunt: quid, an non ex ipsorum verbis appetet, Hispaniam Galliæ plus impertire, quam Galliam Hispaniæ? Miror autem, cur, dum agrorum fertilitatem vtriusq; prouinciæ inter se confert Munsterus, assuerat Hispaniam vini, frumenti, & carnium copia à Gallia vinci. Vbi (ut de hac Galliæ vbertate disceptemus) auditum est, aut visum, ex Gallia in Hispaniam vinum deportatum esse? nisi forte ad confinia Cantabriæ, & id raro, quippe cum ii magis amplectuntur Hispanicum, etiam dilutum, quam Gallicum merum. Prodeat nunc Gallia Belgica, ac Anglia, Irlædia, & Scotia, simul cum Noruegia, Dacia, Suecia, Moschouia, Russia, Liuonia, Lituania, Prussia, ac tota orientalis Germania, nec nō Hollandia, & testentur quid vini Hispanici in ipsarum finibus absumatur. Deinde si iā ex Gallia in Hispaniam frumentum, ut vult Munsterus, inuehitur, id non ex nativa malignitate soli, sed ex adspectu, ut aiunt, astrorum accident, quæ hostiliter ab anno 1516. ad hunc usque diem, morbis, cædibus, calamitatibus, prouinciam afflixerunt, alioqui fertilis est Hispania, ut testatum antiqui scriptores reliquerunt. Et vbi haec saeuities siderum mitigata fuerit, pertinent à nobis Galli frumentum, ut antea soliti fuerunt facere. Hoc credo ignorasse Munsternum, Gallos à nostris crebrius, quam nos ab ipsis, olim frumentum expetisse. Nec hoc tempore peregrino frumento indigeremus, si omnes (ut in Gallia & aliis prouinciis sit) Hispaniæ partes quæ coli possunt, colerentur. cuius enim vberitas tanta est, ut maiori anni circulo media astini atq; plebeii homines, ex sylvestribus fructibus, melle, herbisq; laute viætitare possint: quæ res eos parum ad agriculturam propensos efficit. Accedunt ad hoc nouæ Orientaliū Occidentaliumq; Indiarum nauigationes, continuum quoque bellum Africænum, atq; Italicum, quæ nostri magis amplectuntur quam aratri labores. Vnde euenit non solum apud nos agriculturam negligi, sed etiam metalla quorum venis adhuc Hispania abundantissime ornatur, ex visceribus terræ non effodi. Cætera quæ Galliæ sunt, veluti linæ telæ, filum, glastum, facile iudicabis an ea tanti sint, ut cum Hispanticis frugibus conserri possent, quoniam maior pars telarum & fili canabacei, quæ in Hispaniam apportantur, Batauiæ solum producat. Quod ad carnes autem spectat, verius ipsa veritate est, non

tantum in Galliam ex Hispania boues, sed magnam quoq; mulorum copiam educi, equos etiam, sed furtim, ob regum edicta. Reliqua autem quæ sequuntur, futilia sunt, indignaque tanta comparatione. Nec hoc contentus Munsterus, ut per omnia suum autorem Villanova-uanum sequeretur, stomachum in Hispanos euomuit, credo re vera, eum nonunquam ab aliquo Hispanorum iniuria aliqua lacestum fuisse, cum sic in eos verbis debacchetur. Ait enim, frugalis vita Hispani, sicut & Itali (etiam Italos noluit immunes à suo temerario iudicio) nec tantum cibi & potus, ut Galli & Germani, absumentes, nisi sint inuitati, nam tūc se ad saturitatem explent eduliis, quia rara eis & maiore auiditate accident conuiuia. Elegans scomma, & dignum quod topographiis prouinciarum inseratur, quasi Gallorum & Germanorum conuiuia, splendida plane & opipara sint habenda. Satis ibi ciborum & potus, sed externi homines non de copia conqueris solent, sed de lautitia & elegantia. Sed finamus vnumquenq; patro more viuere, atrum panem, stipulis, surfuribusq; una pistis commixtum, foetidam cerevisiam, carnesq; salitas, ter quaterq; recocetas, assasq; sibi suisq; familiaribus administrare, vel aquam & herbarum placentas. Quod si de numero conuiuiorū disputandum est, vincunt Germani & Galli: si de magnificentia, splendore, lautitia, elegan-10tia, multis modis Galli & Germani ab Italib; & Hispanis vincuntur. Ceterū laudes cōuiuiorū si quæ sunt, non ab Hispanis Hispaniæ, nec à Germanis Germaniæ vindicādæ sunt, sed id iudicium exteris hominibus committendum est. Exitus certe & finis conuiuiorum, honestior in Italib; & Hispanis, quum Germani & Galli eo animo conuiuia aggrediantur, ut vino se adimpleant, refarciantq; quo feruente, animus, sensus, iudicium, ratio, reuerentia, gra-20uitas, sedulitas, prudentia, & alia multa amittuntur: iniuriæ, cædes, luxus, stupra, clandesti-25næ locutiones, consiliorum Principum amicorumq; effutitiones, vulnera, plagæ, insidiæ, prodiciones, aliaq; infinita perpetrantur. Itali & Hispani contra, sic ad conuiuia se ornant, ut bene saturi & cibis referti à mensa discedant. Hic tametsi corporis salus replete ne gra-30uetur, animus tamen & ratio, ut accedit in ebriis, minime laeditur. Ita fit, ut qui vinum intemperanter ingurgitant, animum, conscientiam, corpus, honorem, vitam labe tingant. Qui autem cibi voraces sunt, corporis tantum saluti noxiæ sunt. Iстis perpēsis, iudicet equus æstimator, penes quos laus istius rei consistere debeat. Nec mihi ideo ista dicta sunt, quod magni esse momenti putem hac in parte vel vinci, vel vincere, sed quod ferre non potui, Hispanos tanquam famelicos & cœnipetas, nunquam nisi de alieno saturos, à Munstero describi. Neque mea dicta à Munstero accipi volo, veluti recriminationem, sed admonitionem, ut cautius posthac & syncerius in suis scriptis agat. Virum enim eum bonum scio, & aliquo vsu familiaritatis mihi cognitum habeo. Nec prætereundum puto id quod deinceps idem dicit, cum te non intellecta, multorum etiam sit opinio, quod duriter & inciulter apud Hispanos aduenæ excipientur, adeo, ut itinere defessi, cibum sibi vicatim quarere cogantur. Res sic se habet: Olim pandochei Hispaniæ ad quos viatores tā peregrini quā incolæ diuertere solebant, fures atque latrones erant, sicut Germaniæ, Galliæ, aliarumque prouinciarum hodierna die nō pauci sunt: quales si nō essent, non tam subito in immēsum ditescerent. Hęc perpēdentes catholici Ferdinandus & Elizabeth Castellę & Aragoniæ re-40ges, lege sanxerunt sub magna multa, ne quis cauponum pandochei rumq; quicquā præ-45ter domesticum seruitum, & cibi coquendi operam, aduenientibus præberet. Pro equis autem hordeum, auenam, fœnum, stramen tantum venderet, quarum rerum precium publica æstimatione ipsis foribus diuersiorum inscriptū est, ita ut barbarissimus & simplex homo cuiuscunq; nationis, facile intelligat, quid pro doméstico seruitio, quid pro equorū alimento sine aliqua licitatione hospiti dandum sit. Hospes præterea tenetur cum aduenia in forum, & ad propolas procedere, vel aliquem ex suis eo mittere, cuius opera vtatur exterus in eduliorum emptione, quæ empta in diuersorio parantur, parataq; ipsis, strata mensa, apponuntur. Sic fit, ut discedente aduena, nihil rixarum, oriatur, nihil ei auferatur, nihil extorqueatur, cum ipsem cibos sibi emat, sibique ex tabulis diuersorio affixis constet, quid hospiti annumerandum sit. Hęc autem in ciuitatibus & oppidis tantum fiunt: in pa-50gis & villis, vbi propolæ desunt, licet pandocheis edulia vendere pro arbitrio, cetera ex tabularum tessera indicantur. Hęc immanitas non tam fera videtur, quam à Munstero de-55pingitur. Deinde si ad humanitatem Italorum Hispanorumq; respicias, hęc inuenies, cum ad eorum ciuitates veneris. Amicitia contracta, officium suum vnuſquisq; gratis offeret: quicquid dignum visu sit, ostēdet: circunspectis, vīsiſq; omnibus, te ipsi in hospitiū tuum deducent. At si quęquam illorum, dum gratus esse cupis, in prādio, vel in cœna retinere volueris, vix ab eis illud impetrabis, id præcauentib. ipsis, ne homini peregrino, & sumptui, & molestiæ sint, Tādem ex viginti, si tot comites habueris, vix vnum aut alterum retinebis, nec id efficies, donec clare intelligāt, ex animo, & nō fīcte, eos tibi cōuiuas velle. Galli cōtra & Ger-

& Germani, ut verum est, & expertis sumus, humanissimi in peregrinos sunt: quicquid vi-  
sendum in suis ciuitatibus habent, ostendunt, omneque officium benigne exhibent. Sed  
peractis spectaculis, vbi diuersorum repetis, siue frigide, siue ardenter ipsos inuitas, faciles  
eos habes, nec opus est magna contentione precum, idque laudo. est enim illud ingenuæ  
cuiusdam & candidæ simplicitatis, nihil fictum existimare in verbis inuitatoris. Sed sunt  
nonnulli improbores, qui se vltro tuæ mensæ ingerunt, idque magno numero, quos antea  
nec noueras, nec videras, iiq; non quia amici sunt, sed se amicos aliquando futuros sperant,  
pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum communia credunt, homines me her-  
cle non male ad ventrem philosophantes. Postremo in Italia, Hispaniaq; dum tempora, ar-  
10 ces, armamentaria, ædificia, huiusque generis alia inspexeris, vel à domo amici alicuius tui,  
apud quem hospitabar, discesseris, si custodibus, vel operariis, aut amici famulis, aliquam  
gratuitam pecuniolam dare conteris, efficies pro amico, vt inimicus abeas. Tanta est eorum  
magnanimitas, vt peregrinis hominibus, gratis officium suum exhibere contendant. Et si  
aliuando taliæ munera istis accipere contingat, id vi coacti, & omnino reluctantantes faciūt.  
At Germaniæ Galliæve famuli arcium, armamentariorum, templorumq; custodes multo  
contra, nulla humanitate nec decore seruato, non tantum non recusant, quod facere non  
nouerunt, sed antea quam offeras, præbent ipsi manus, sic vt qui sub arcis præfecto mere-  
tur, ianitor, custos, pincerna, pistor, lotrix, cocus, omnes demum quotquot sunt, prædam  
inter se, antequam des, calculis diuidant. Parique modo in familiis amicorum sit. à quibus  
20 enim amicis antea quam discedas, omnes famuli inter se computatione lucrum aduentā-  
tis liberalitatis diuidunt. quæ res ita increbuit, vt pro dedecore iam non habeatur. Ad istum  
modum humanitate urbanitateque hæ nationes differunt.

Nunc iudicet Munsterus, & ferat ipse sententiam, & dum mores gentium scribere co-  
natur, edat ea tantum quæ ipse viderit, & certissima habuerit. Mutantur quotidie ciuitates,  
oppida, mores, viuendique hominum rationes, nec iam Germania Galliaque tales, quales  
nobis à Cæsare depinguntur, nec tam barbaræ sunt, quod idem astimare licet de cæteris  
nationibus. Quid enim hoc tempore minus verum, quod olim verissimum fuit, mercatură  
Germanos ob ferocitatem non exercere, cum hoc tempore nullibi magis Mercurius co-  
latur? Aut eis Solem, Vulcanum, & Lunam deos ascribere, eisdemq; ad annum vigesimum  
30 usque pubertatem inuiolatam esse? Nonne si quis id dicat, vaniora dixerit, quam si quis et-  
iamnum Druides adhuc apud Gallos sacrificia administrare, eosque pro victimis, vel alios  
homines, vel seipso immolare, aut Lusitanos lineis thoracibus in bello vti, aut ex intestinis  
captiuorum hominum futura prædicere, vel hordeaceum vinum bibere, & pro oleo buty-  
rum in coniuiis consanguineorum usurpare, cum hæc omnia iam euanuerint, & alia vi-  
uendi ratio introducta sit? Demum si Munsterus nouos nostri temporis hominum mores  
describere velit, inuisat prouincias, vt ipsi fecimus, ac tunc ea quæ experientia viderit, scri-  
bat. Quod si fecisset, non oleo carere Baleares dixisset, non Hispaniam sterilem, non eius  
incolas immanes, atque in discendo rudes, non Nerium promontorium Celticum voca-  
set, & in Algarbe, cum in Gallitia sit, pronunciasset, nec multa alia vana, quæ prætermitto,  
40 suo Ptolemaeo inseruisset. De his satis, ne videar incandescere, aut minutias rerum non sa-  
tis minute tractare. Tamen sciat Munsterus, hanc ipsam Hispaniæ, de qua nūc loquimur,  
candem esse, quam ex omnibus prouinciis Cæsar ab initio quæsturæ suæ semper chariore  
& electiore habuit, in qua nullo tempore, ob hominum magnanimitatem, & militaris di-  
sciplinæ industriam, Romani desierunt legiones habere, teste Hircio. Quam etiam Vespasianus  
tantum fecit, vt ei ius Latii tribuere non formidauerit. Hæc numero deuicta à Roma-  
nis, vt Cicero de respons. Arusp. asserit, nunquam fuit, sed pietate & religione, quam Roma-  
ni tunc temporis sibi soli tribuebant. Huic vt cederet terra Crete, Louis incunabulis e-  
lata, Plinius iunior in suo Panegyrico voluit. Cuius, inter alia, hæc verba sunt: Adde tot e-  
gregias ciuitates, adde culta inultaq; omnia vel fructibus plena, vel gregibus, adde aurife-  
50 rorum opes fluminum, adde radiantium metallæ gemmarum. Scio fabulas poetarum auri-  
bus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera,  
sint singula, nec iam excutio veritatem: sint, vt scribitur, Gargara prouentu lœta tritici, Me-  
uania memoretur armento, Campania censeatur mōte Gargano, Lydia prædicetur amne  
Pactolo, dum Hispaniæ vni, quidquid laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc ex-  
pertissimos duces, hæc facudissimos oratores, hæc clarissimos vates parit, hæc iudicū ma-  
ter, hæc principum est, hæc Traianū illum, hæc deinceps Hadrianum misit imperio. Huic  
te debet imperium. cedat his terris terra Crete, parui Louis gloriata cunabulis. De  
haec etiam maxima ductus admiratione Budæus libr. 4. de Asse, cum multorum antiquo-  
rum authoritates in medium attulisset, ista loquitur: Ingentia sunt hæc testimonia de opu-

lentia Hispaniæ. Ulterius ait: Multa adnotabimus quæ fide caritura sunt, ut opinor, præser-  
tim apud eos qui omnia, & præterita, & futura, præsentis temporis modulis metiuntur, &c.  
Infinita enim sunt, quæ hic de laudibus Hispaniæ scribere potuisse, nisi timerem lectori  
molestam fore lectionis prolixitatē. Quod si quis latius intelligere cupuerit, legat id quod  
Posidonius, Polybius, Strabo, Iustinus, Solinus, vterq; Plinius, P. Velleius, Paternulus, Ve-  
getius, Florus, Pomponius Mela, Stephanus de Vrbibus, Philostratus, Diodorus Siculus,  
Martianus Capella, Cælius de antiquitatibus, atq; Budæus testatum de Hispania relique-  
runt, apud quos & alios nonnullos tales ipsius Hispaniæ laudes reperiet, ut facile iudicatu-  
rus sit, nos de hac replura veraq; dicere potuisse: quod & fecissemus, nisi obiectiones ni-  
mii in patriam amoris, à maleuolis & infestis hominibus timuissemus.

**AD VECTITIA, QVÆ EX ASIÆ, AFRICÆ, NOVÆ  
que terræ prouinciis, Regibus Castellæ & Portugalliae subditis, quæ innumera  
sunt, in Hispaniam aduehuntur, ac inde per totam Europam.**

Primum in Castellam, ex nouis, vel occidentalibus	Cyanos, vulgo Turquina.
Indiis, Hispaniæ magna vis auri deportatur.	Casia.
Argentum.	Guaiacum lignum.
Aurea vasa & argentea, mira dexteritate operata.	Dactyli.
Vniones.	Indidem ex insulis Canariae & aliis locis, saccarū, coria bubula & hircina, psittaci, simia, atq; ve- stes pennis avium miro artificio contexta, & a- lia admiratione digna.
Margarita.	20
Smaragdi.	

**QVÆ IN PORTVGALLIAM EX PROVINCIIS  
sibi subditis aduehuntur.**

Singulis annis ex Nigritarum regnis deducun- tur Vlysi ponem 10.12. millia mancipiorum, præ- ter alia ex Mauritania, India, Brisiliaq; aduecta, qua singula paßim decem, 20.40.50. aureis ducatis venduntur.	Reubarbarum.
Præterea ex Nigritarum prouincia appertatur magna auri copia.	Myrobalani omnium generum.
Gosipium.	Casia. (tum genera.
Ebur, ex eodemq; vasa non ineleganter exculta,	Dactyli Indici, siue Tamarindi, & omnia aroma-
Hebanum.	Crocum Indicum.
Mala Getulica, vulgo paradisi grana, seu malage- Coria boum hircorumque.	30 Lignum aloes.
Panni, mira arte ex palmarum foliis contexti, nec non ex gosipio.	Sandalirubri & albi.
Piper longum.	Lacha.
Oriza.	Hebanum.
Zibelli (ut vocant) musiones feles.	Item gemmæ omnium generum preciosissima.
Dactyli palmarum.	Vniones.
Ex Brisilia, lignum quod Brisil vocatur, & uestes auium pennis contextæ, ac lecti pensiles, ex go- sipio, instar retium connodati, & saccarum o- ptimum.	Vasa aurea & argentea, mira industria facta.

**EX INDIA ORIENTALI  
& Cathao.**

Piperis annue tricies quadragiesque centena  
millia pondo, cuius centum librae venduntur Vly-  
sippone 34. ducatis, supra quartam ducati partem,  
qua summa minimū est, duodecim, aut tredecim,  
aut quatuordecim centenū milium aureorum  
ducatorum.

Zingiber.

Muscata myristica, atq; eorum flores.

Cinnamonum.

Gariophyllum.

Scutellæ mira arte ex calce concharū scilæ, quæ porcellanas vocat, quarum nonnullæ precio 50. & 60. & 100. ducatorum venduntur, & alia infinita apportantur, quæ ob prolixitatem omitto.	40
Elephantes queq; quinq; vel sex tempore felicis Re- gis Emanuelis inde allati sunt, quorum, dum puer ipsius prudentissimi Regis ab intimis cubiculis es- sem, trevis simul vidi, atq; Rhinocerote unum, qui omnes Regem ipsum equitantē precedebant. Cer- tamini etiam unius istorum Elephantū cum Rhinocerote, interfui: spectaculum sane admiratione dignum, in quo Elephas succubuit. Quem ludam Rex ipse felicissimus Emanuel Vlysipone prabuit, anno (si bene memini) 1515. vel 16.	50
Nuces Indicæ.	
Styrax siue styrace, storax vulgo.	
Laserpitium, vulgo Belzoi.	
Ambar, gris, ut vocant.	
Muschus.	
Nuces Indicæ.	

Ex Insulis Madeira Hesperidum, Sancti Thomæ, principis, atque aliis magnâ faccari copia. Glastum quoque & gosipium ac frumentum ex his insulis vehitur. Ex Brisilia, ac Nigritarum prouincia, psittacorum, cercopithecorum, simiarum, aliorumque miraculorum, ingens turba apportatur.

Hæc sunt quæ de fertilitate, opibus, nobilitateque Hispaniæ, à me, Nanni doctissime, scire petisti: quæ, te volente iubenteq; ea lege scripsimus, ut omnibus ius faceremus castigandi, mutandi, augendi, quod mirifice exoptamus, haud ignari, plurima esse à nobis omisfa, quibus Hispania ornatur, & celebrari possit. Tu interim viue, & vale, bonique consule. Louanii 12. Cal. Decemb. Anno 1541.

x o

# M I C H A E L I S R I T I I N E A- P O L I T A N I D E R E G I B V S H I- S P A N I A E L I B R I T R E S.

L I B E R P R I M V S.

**H**ISPAÑIÆ veterem formam mutant sâpe contigit. Initio reges eam haberunt ex gente Curetum, Gargoris, eiusq; nepos ex filia stupro conceptus Abbas. Nam Geryonem licet historia Diodori memoret, equidem fabulosum putaré, nisi grauis autor Trogus accederet. Hispalum vero de cuius appellatione suspicantur Hispaniæ nomen inditum, longa ætas obruit. Post multa demum secula, Carthaginenses occuparunt eius imperium, quibus bello Punico secundo pulsis, Romani duas in prouincias vniuersam diuiserunt, in Bæticam & Tarragonensem, Iuridicosque conuentus vndecim: manitque is rerum status ad Attilam usque, qui per legatos vltiorem subegit Hispaniam. Quam falso quidam prodiderunt esse dictam ab Hunnorum ducibus quos illi sua lingua memorant Hispanos, quum certa temporum ratio refragetur. Iterum deniq; sub regibus aliquando in regnâ quinque distributa est: primum Legionis & Castellæ, secundum Aragonum, tertium Nauarræ, quartum Portugallæ, quintum Bæticæ quam Granatam perhibent. Itaque Mauris qui Bæticam tenuerunt omissis, Legionis & Castellæ regum stemma prosequemur, vnde manasse Christianos reges autumo. Quorum nostro proposito debita relatio est. Bæticæ rerum potiebant Wandali, Sueuique Lusitaniae, quas Romanis opibus attenuatis in potestatem redegerant, quum Gothi sub auspiciis Athanarici qui primus eius gentis rex fuisse proditur, Hispaniæ fines ingressi, sedes posuerunt anno dominicae salutis trecentesimo quadragesimo tertio: quumque regnasset annis tredecim, diem clausit, Hispanique recepti sunt Theodosii Cæsaris virtute, qui Gothos annis duodeuiginti imperata facere coegit, & in officio continuit. Exinde Gothi quum descivissent ab imperio, Regem sibi creant Alaricum Pannonem de gente Balthorum, qui præterquam quod Hispaniæ partem sibi vendicavit, & Thrases & Germanos variis affecit cladibus, in Italiam ductis copiis, Romam, Campaniamque, & Apuliam redigit in potestatem. Sed vigesimotertio sui principatus anno, repente fato functus est in Brutis, deriuatoque captiuorum labore Basento Cosentia præterfluente, in eius alueo conditus est. Athaulfus, incertum nepos Alarici, an necellarius, in defuncti locum substitutus est, & apud Gothos regnauit, qui licet Hispanis & aliis Europæ gentibus imperarent, Gothorum tamen Reges adusque Pelagium, de quo post, omnes appellati sunt. Athaulfus itaque Gallam Placidam Honorii Romani principis sororem matrimonio sibi iunxit. Nec amplius annis quinque rerum potitus, apud Barcinonam à militibus suis obtruncatur. Successit ei Sigericus à stirpe propior (vt a-iunt) isque anno post obiit. Exinde gubernacula suscepit Walia, cuius adusque tempora Wandali, quos ab initio, fines Hispaniæ tenebant, donec eorum Rex Gensericus in Africam traiecit, occasionemque nactus Walia, pulsis ex Hispania qui domi remanserant Wandalis, quicquid in eorum iura concesserat, in suam ditionem redigit, subitaque vi morbi correptus, anno tertio regni sui fato functus est. Itaque res ad Theodoricum defertur. is tertio post anno, sociis Etio patricio, & Meroueo Francorum Rege, dum pro Romanis aduersus Attilam pugnaret Hunnorum Regem, in

campis Catalaunicis occubuit. Patris honori successit Torismundus, qui principatus sui anno decimo germanorum fratrum (ut rumor est) insidiis de medio sublatus est. Regnum, Theodoricus huius nominis secundus, Torismundi frater occupauit, exactoque Rethiar-  
io Sueorum Rege, Lusitaniam regni sui finibus adiecit. aiunt huic eandem necis sortem obtigisse, quam Torismundo fratres intulerant, quo tempore Theodoricus alter Ostro-  
gotorum Rex in Italia rerum potiebatur. Elato Theodorico, principatum suscipit Henricus eius frater, qui Gothis autor fuit, ut scriptis legibus vterentur: annoq; septimo sui prin-  
cipatus excessit ab humanis. Alaricus alter à superiore, post Henricum Gothis imperauit  
annis duodecim. In acie cæsus à Fludiguino Comite apud Pictauium, superstite Almarico  
quem suscepit ex filia Theodorici Regis Italiae. Gensalaricus Alarici frater ex pellice ge-  
nitus, excluso Almarico nepote, regnum sibi vendicat, annisque quatuor tenuit, donec o-  
pibus Theodorici quem maternum auum Almarici demonstrauimus, in Aphricam com-  
pulsus est. Itaq; receptis Gothis Theodoricus Almarici nepotis infirmam rexit ætatem lu-  
stris duobus, & septem mensibus. Mox Almaricus vbi à pueris excessit, annis quinque rem  
per se administravit, donec commisso cum Gallis prælio obtruncatus est. Amisso filio suc-  
cessit Alamasintha Theodorici Regis Italiae filia, mater Almarici, Tendiumq; sobrinū suū  
in spem successionis adoptauit. is non expectata fatali die, Amalasinham in balneo suffo-  
candam curauit. Tendius igitur Amalasintha sublata septemdecim regnauit annis. is in cæ-  
dem suam Gothos accedit habitus histrionici deformitate, quem palam passimq; gesta-  
bat. Gothi nouum Regem sibi creant Tendesilium, qui forte per id tempus exercitui præ-  
erat, impositus à Tendio, cuius affinis esse dicebatur. is apud Hispaniam orta seditione ob-  
truncatus est, ob illatam vim matronis illustribus. Agila subrogatur in eius locum. Nec e-  
quidem scio, superiores ne Reges aliqua necessitudine contigerit. illud vnum constat, an-  
no quinto ex quo eratus Rex, à suis esse interemptum. Exinde Gothorum Dux Atanagil-  
dus occupat dominatum, quem postquam bis septenis tenuit annis, apud Toletum morbo  
consumptus est. Lymba, quem Luybam nonnulli vocant, ad rerum fastigium suorum stu-  
dio suffragioq; euehit, triennioq; regnauit, viuensque Leonogildo fratri cessit Hispaniæ  
principatu. Leonogildus ex Hispania Sueorum reliquias eiecit, Andeca Rege superato. ii  
regnum semel in Hispania constitutum, per annos centū septuaginta tenuerant in Hispa-  
nia. Securi percussit Hermelgundum suorum liberum natu maximum in conuentu Hispaniæ  
in acie captum, quod is Arianorum sectam non probaret. Regno præterea, Legionis ad-  
iecit urbem. Gothis imperauit annis duodecim. Leonogildo patri successit Recharedus  
ab Hermelgondo proximus. is Arianum dogma in conuentu Toletano damnatum, ab His-  
paniæ finibus eiiciendum curauit. Luyba alter à priore, quem vocatum præterea Lymbā  
demonstrauimus, Recharedi filius, excepit imperium, quod annis duobus & mensibus  
quinque tenuit, insidiis Vicerici de medio sublatus, illustris inter Gothos viri. Luyba cæso  
regnū Vicericus occupauit eius percussor, adeptoque per fraudem dominatu septē po-  
titus annis, eodem lethi genere periit quo Luyba. Res ad Gondamirim delata, quam quum  
biennio administrasset, ex aduersa valetudine mature diem clausit. Gothi nouum Regem  
sibi creant Sisibutam, qui verum Dei cultum nostramque religionē mirifica pietate pro-  
sequutus est, in Aphricam trans Herculeum fretum ducto exercitu plures in ea gentes in  
ditionem redigit, annis nouem regnauit & septem mensibus, morbo consumptus est. Re-  
charedus eius nominis secundus, Sisibuti F. paternum decus accepit, idque se sequianno  
tenuit. In eius locū subiit Suintilla Recharedi primi filius, isq; quum decem regnall et annls  
suum F. Rachimirum in regni consortium accepit, eumque viuens administrare regnum  
permisit. Quoniam vero Rachimirus mature patrem sequutus est, breuique post eum re-  
gnauit, non venit in ordinem per se regum, sed cum patre confunditur. Itaque Sisecundus  
& ipse Suintilla patre natus, in demortui locum suffectus est, excluso qui præstabat ætate  
germano, qui paterno nomine Suintilla vocabatur. is anno post septimo, defuncto apud  
Toletum Sisecundo, debitum sibi regnum vindicauit. Suintilla Rex eo nomine secundus, 50  
quadriennio rerum potitus, ex ægritudine in quam incidit, fato functus est. Tum Gothi  
Regem sibi creant regia stirpe genitum Tulgam, qui regnauit annis duobus.

PRIMI LIBRI FINIS

MICHAEL

# MICHAELIS RITII NEA- POLITANI DE REGIBVS HI- SPANIÆ LIBER SECUNDVS.



Ac vam Gothorum regiam Cindasuindus occupat, illustri inter eos loco, quam annis decem tenuit, moriensque filio per manus tradidit. Recisuindus is fuit, qui Gothis imperauit annis duodeuiginti, ac mensibus vndecim. Quo mortuo, Bamba Rex creatur, is qui Mauros Hispaniæ littora cum classe ducentarum septuaginta nauium ingressos, ingenti prælio fudit, & classem igni succendit. ex haustu demum veneni quod ab Eringio Recisuindi datum rumor est, incidit in grauissimum morbum. Ex quo quum ægre conualuisset, anno post initum regnum nono, menseque vno, religionis habitum sumpsit, in eoque permansit annis septenis ad ultimum vitæ diem. Sunt qui fabulentur hunc ex aratro ad principatum euectū Leonis Romani Pontificis beneficio. Eringius de quo supra diximus, ad religionem transgresso Bamba, Theofredum Recisuindi F. pellit, occupatoque dominatu, septimo post anno fato functus est. Egypza Bambæ sobrinus, idemque gener Eringii, mortuo socero successit, quumque regnasset annis septem, Toleti naturæ concessit. In eius locum Vitiza F. subiit, eoque potitus est annis nouem, donec à Roderico Theofredi F. eius quem prius Eringius regno exegerat, & Vitiza confossis oculis relegarat, imperio vitaque spoliatus est, impar opibus Romanorum qui Roderico fauebant. Hic (vt aiunt) Vitiza lege permisit, vt sacerdotes, quot quisque posset, alerent concubinas, & ipse nullum libidinis genus intentatum reliquit. Excepit imperium Costa Roderici frater ætate maior, isque regnauit annis quinque, mensibus septem. Eo vita functo, Rodericus frater rem Gotorum suscepit inauspicato. Nam eum Iuliani Comitis in Africa pro se legati filiæ stuprum intulisset, à Mauris à Iuliano sollicitatis, bello petitus, in acie cecidit, ex quo regnare cœpit anno tertio. Post interitum Roderici, Maurorum Duces Tariph & Muza, Bellaz in Muzæ filium partis in Hispania finibus imponunt Regem, continuoque in Africam redierunt. Annis non amplius viginti Maurorum Reges in Hispania quindecim fuerunt. Nam quum Rex omnium votis responderem non posset, populari tumultu, vel occidebatur, vel imperium deponebat, subinde in exactil locum altero subrogato. Denique quum delata res esset ad quendam Acabath, nostrarum rerum cupidis ad trecentos usque de medio sublatis diu regnauit. Dum Mauri rerum potiuntur in Hispania, Christianorum reliquæ Pelagium quendam Regē sibi creant, apud Asturas ubilatabant. De quo sermo varius est, aliis tradentibus eum Theofredi filium fratremque Roderici, nonnullis ex Phafilla natum Duce Cantabriæ quæ Biscaia nunc appellatur. is et si nullas, aut per exiguias opes habebat, auxilio cælesti fretus audere cœpit, adhortatusque quosdam finitos, ad veram religionem compulit, appellarique voluit Asturum Legionisque Rex, et si maiores sui Gothorum dicti sunt: quamuis alii hanc tituli mutationem Phafillæ eius filio ascribant, & his qui deinceps regnauerunt. Imperauit autem Pelagius annis viginti. Relicto superstite filio Phafilla, post quem deinceps ad unum Reges Legionis & Asturum sunt inscripti, siue Pelagius, siue Phafilla fuerit auctor eius tituli, quum biennio regnasset, ab urso laniatus est in venatione. Regnum peruenit ad Alphonsum Petri Cantabriæ ducis maximum natu filium, cui Phafillæ soror Ornosuba nupta erat. is Arrianum dogma quod à Recharedi Regis morte rursus in Hispania pullulat, eradicauit, urbesque & oppida complura electo Maurorum præsidio recepit: ex quo Catholicus est cognominatus: annoque vnde uigesimo sui principatus exiuit hominem. Successit Alfonso patri Phroilla, qui tertio decimo post anno de medio sublatutus Aurelii fratri sui dolo, regnum Veremundo filio per manus tradere non potuit. Aurelius enim patrato parricidio, continuo regiam occupat, annisque sex obtinuit. excessit absque prole, nisi quod ad inuidiam periculumque declinandum, Veremundum Phroillæ filium in spem successionis adoptarat. Ab Aurelii morte, Gothorum rem suscepit Sillo, cui nupta erat Egimanda Aurelii soror, pulsoque Veremundo solus imperauit annis sex ad ultimum vitæ diem. Mauregatus Alphonsi cognomento Catholicus filius ex pellice, mortuo Sillone, Maurorum qui rerum potiebantur in Hispania, præsidio dominatum constituit, paetus (vt aiunt) cum Maurorum Regibus, quotannis quasdam virgines in stipendum mittere. Sed id triennio post, Mauregatus morte sublatum est. Veremundus Alphonsi cognomento Catholicus nepos ex filio

Bilmarao, Mauregato iam fato functo successit: biennioque rerum potitus, quū eius vxor ex qua Raymiri Garsiæque pater erat, in Parthenonem se coniecislet, ipse memoria repetens, quod adhuc priuatus in ordinem diaconum cooptatus erat, Alphonsum Phroillæ filium eius consobrinum pro se regnare iussit, continuoque transit in sectam religionis. Alphonsus itaque cognomento Caltus, Maurorum ad septuaginta millia cæcidit in acié, qui fines Asturum ferro ignique populabantur, ex quorum manubiis duas erexit ecclesiás. Ouetensem & Asturiensem. Regnauit annis quadraginta vno, adusque Caroli Magni principatum. Raymiris Veremundi filius, Alphonso iam vita functo, paternum decus accepit, exindeque vixit annis sex, mensibus nouem. Principatum reliquit Ordonio suo filio, quē tenuit is ad decennium, decessitque superstitibus liberis Alphonso, Veremundo, Minioque, & Phroilla. Alphonsus Ordonii filius, cognomento Magnus, eo nomine tertius, à morte patris imperium suscepit, annisque quadraginta tenuit, quoad hominem exiuit, parum secunda fama. Nam quum fratres suspectos haberet, ac si necem per insidias sibi molirentur, oēs oculis priuauit. Liberos habuit quatuor, Garsiam, Ordoniū, & Phroillam, nullis initiatos sacris, quos hodie Græco verbo Laicos appellant: & Gondisaluum archidiaconum Ouetensem. Ex his Garsias rerum gubernacula subiit, eaque moderatus est ad triēnum, nec ex se prolem reliquit. Itaque frater eius Ordonius, in defuncti locum suffectus est. is quatuor Castellæ Comites per interpositam fidem circumuentos in carcere necari iussit, ob eamque rem Castellæ prouincia defecit ab eius fide: quosdamque ex sua nobilitate creauerunt qui de publicis priuatisque controvërsiis inter eos cognoscerent, eosque iudices appellari placuit. Ex his alteri Nunio Rasurauo nomen fuit, alteri Layno Caluo: vnde Castellæ Reges originem traxisse constat. Ordonius cum genuisset Alphonsum Raymirimque, octauo sui principatus anno, mense sexto diem clausit. Phroilla quum sui fratribus Ordonii liberos exegisset, in se principatum transtulit: eo tamen ut fraude quæsito diutius frui non potuit. Nam vno post anno duobusque mensibus morbo lepræ correptus interiit, superstitibus quatuor ex se liberis, Alphonso, Raymiri, Ordonio, & paterno nomine Phroilla. Quorum natu maximus, huius nominis quartus Alphōsus, à morte patris imperium suscepit, eoque potitus vno toto lustro, mensibusque septem, iurauit in verba Christianæ religionis, Ordonio filio quem susceperat ex Imena superstite, cui cognomentum Malo fuit: regnumque Raymiri germano dimisit. Sed quum paulo posteum pœnitentia subiisset, abiectis insignibus eius lectæ quam professus erat, iterum regnum quo cesserat, correctare cœpit. vnde captus à Raymiri fratre, effossis oculis luce priuatus est. Raymiris eo nomine secundus, Alphonso quarto concedente rerum potitus, duos habuit filios, Ordonium & Sanctium, quorum vterque post patrem deinceps imperarunt, quum Raymiris obiisset vnde uigesimo principatus anno, duobusque mensibus. Rerum gubernaculis admotus est Ordonius, eo nomine tertius, Raymiris filius natu maximus. Quem quum Sanctius consanguineus eius frater, opibus Garsiæ Regis Nauarræ matris suæ fratri, eiusque auunculi, Ferrandique Gundisalui Castellæ Comitis Ordonii saceri, tentasset è regno deturbare, consiliaque non successissent, Ordonius Viracam Fernandi filiam eius vxorem dimisit, aliamque superduxit: quumque regnasset annis quinque, naturæ concessit. Gothorum res ad Ordonium eius nominis quartum deuoluta est, Alphoni filium, quem à fratre obcæcatum demonstrauimus. Huic inditum cognomentum Malus est, quia non iure regium sibi nomen arrogauit, & quia populo in pace non continuuit, quorum plerique Sanctio potius Ordonii tertii tertio filio ac vero Regi parebant: isque non multo post, Ordonium prælio viatum apud Cordubam intermit. quamdiu regnauerit hic Ordonius, ob eius temporum perturbationem minime constat. Sanctius eo nomine primus, ab habitu corporis cognomento Crassus, anno regni sui tertio decimo, quum tantam saginæ molem vix ferret, & ad eam leuandam nihil intentatū relinqueret, Cordubam profectus est, Abdemari regiā qui Saracenis imperabat, impetrata prius ab eo pace. vbi inter experimēta medicorū quorū magna turba apud Abdemarum erat, herbae cuiusdam viad maciem deductus, haud ita multo post excessit, non sine suspicione dati veneni. Viuens Castellam quam Ferrandus Gundisaluuus à Rege Legionis in feudum tenebat, ex fœdere liberam esse iussit. Sanctio patri Raymiris eo nomine tertius in principatu successit, ætatis annum agens quintum, exindeque vixit in eo honore annos viginti quinque, decessitque sine liberis. Eius principatu quæ pars ab eo subditorum defecit, rem deferebat ad Ordonii Mali filium Veremundum, initoque prælio victoria neutro inclinauit. Raymiri tandem vita defuncto, Veremundus eo nomine secundus, affectato regno potitus est inauspicato. siquidem Maurorum Rex Almanzor

manzor in eum ducto exercitu primo quidem congressu pulsus, instaurato prælio Vere mundum vicit, atque in fugam vertit, urbemq; Legionem vice cepit. Aggressus exinde Gallicæ prouinciam, Compostellanam diripuit ecclesiam: abstinuit tamen à corpore Diu*i* Iacobi, perterritus obuiis (ut aiunt) fulminibus: ex eoque metu soluta alio cum incidisset in morbum dysenteriæ, ægre conualuit, multique eius milites internecino genere mortis absuopti sunt. Itaque parta victoria Veremundo cessit, illeque paulo ante acie superiorum hostium spolia adeptus est. Cumq; regnasset annis septenis, Alphonso filio superstite quem ex priore suscepereat vxore (nam duas habuit) exiuit hominem.

10 SECUNDI LIBRI FINIS.

---

## MICHAELIS RITII NEAPOLITANI DE REGIBVS HISPAÑIAE LIBER TERTIVS.

---

20 **A**LPHONSVS eo nomine quintus, inito statim regno, Therasiam sororem pertinacissime recusantem, compulit ad nuptias Abdalæ qui Toleti Saracenis imperabat, ab eo pactus auxilia contra Cordubæ Regem. Rumor est Therasiam virum monuisse, ne se contingaret olim C hristo despontatam: cumque nihil ea mouissent Abdalam, in grauissimum incidisse morbum, Therasiamque fratri remisisse, quæ Parthenonem Diui Pelagii ingressa vitam cœlibem duxit. Liberi fuerunt

Alphonso Veremundus, qui patri successit, & Sanctia, quæ prius nupta Garsia Sanctii Comitis Castellæ filio, eo in finibus Legionis interempto, Ferdinandi matrimonium sequuta est, Sanctii cognomento Maioris, Regis Nauarræ filii, qui postea Castellæ Rex appellatus est, ac per vxorem regnum Legionis adeptus. Agebatur annus ex quo regnare cœpit Al-

30 phonsus vigesimus septimus, quum in oppugnatione Visei, quod oppidum præsidio firmatum Mauri tenebant in Portugallia, Mauri telo vulneratus interiit. Continuoque Veremundus huius appellationis tertius, in eius subiit locum, qui non ita multo post, orta inter eum Ferdinandumque sororis suæ virum simultate, in apertum Martem prorupit, collatisque signis apud Carrionem, Veremundus in acie cecidit, anno post initum regnum decimo. Ferdinandus vxoris suæ prætextu (nam Veremundi soror erat) victor regnum Legionis occupauit, eiusque curam Sanctio patri commisit, qui Castellam quoque per Eliuram coniugem consequitus obtinebat. Eliura namque Garsia patri successerat Comiti Gondisalui cui Castella parebat. Et hucusque à Pelagio primo Regum Legionis & Asturum titulus durauit, exinde Castellæ Legionisque dicti sunt, et si quidam sub Sanctio, non-

40 nulli Ferdinandi eius filii principatu nouissimam tituli mutationem factam velint. Sanctius itaque cognomento Maior, Nauarræ Rex, alterius Sanctii filius, eius qui Temulentus appellabatur (ut quidam tradunt) Legionis & Castellæ titulum primus usurpauit, quāuis alii Ferdinandum malint, ut demonstrauimus, ambigiturque quanto quisque eorum tempore regnarit. Et quoniam sors ita eulit, ut Nauarræ Reges Legione Castellaque poterentur, non ab re puta ei originem his inserere, quemadmodum reperi. Nostræ salutis annus noningentesimus sexagesimus primus agebatur, ex quo Christiani regnum Legionis obtinebant, Castellaque per Comites administrabatur, Arabesque partim Cordubæ, partim Toleti, rerum potiebantur, quum quidam cui nomen Enecus, vel (ut alii scribunt) Innicus, ex Comitatu Bigortiæ, qui montibus Pyrenæis includitur, ut facilius Aranum sustineret incursionses, qui Nauarræ fines infestabant, eum pluribus eiusdem sectæ

Christianis in æquum campum descendit: quumque rem feliciter saepe gessisset, à Nauarris in regium fastigium euætus est, eamque dignitatem moriens Garsia filio reliquit, & is deinceps Sanctio, Sanctius Abarca (sic enim cognominatus est) Garsia filio quem Temulentum diximus appellatum, post quem Sanctius ex eo natus imperauit, is qui dictus est Maior, ut proposuimus, qui ex iusto Eliuræ connubio Ferdinandum Garsiamque suscepit, ex pellice Raymirim. Ferdinandus Castellæ, sibi velut ex hereditate materna vindicauit, Legionemque per vxorem: Garsia paterno Nauarræ regno cessit: Raymiris Aragonia potitus, ut moriens pater testamento cauit, primusque Rex Aragonum voluit appellari. Sed ad Ferdinandum redeo. Qui duobus auctus regnis, ex honesta matrefamilias uxore

Ggggg

que liberos habuit, Sanctum, Alphonsum, Garsiamque, & Elioram, ex pellice Ferdinandum, qui cooptatus est in collegium patrum quos ecclesiae vocant Cardinales. A Mauris Columbriam maioremque Portugalliae partem recepit. Cumque Garsiam fratrem morbo implicitum salutatum profectus, incidisset in suspicionem non integrum sibi fore reuerti, silentio discessit: eaque erroris opinione, quum Garsias, ut parem gratiam referret, ad aegrotum venisset, aliquandiu custoditum tandem dimisit. Hinc orto bello, Garsias in acie cœsus regnum Nauarræ Sanctio superstiti filio reliquit. Ferdinandus autem viuens liberis suis regnum distribuit, Sanctioque natu maximo Castellam, Alphonso Legionem, Asturiamque, & Tranisimenam, Garsia vero Galliciam & Portugalliam habendam dedit, annoque regni sui quadragesimo vita functus, in ædem Diui Isidori illatus est apud Legionem. Rodericus Viuar, is cui postea cognomentum Cido fuit, alumnus Ferdinandi fuisse dicitur, & in eius aula adoleuisse, qui saepe viciis acie Saracenis, Valentiam recepit, atque sui iuris fecit. Ab hoc originem traxisse Mendozam familiam plerique credunt. Sanctius eo nomine secundus, cui liberum Ferdinandi natu maximo Castellæ regnum diximus obtigisse, non contentus eo, Legionem sibi vendicavit, Alphonso fratre cœsto, compulsoque ad Arabum Regem supplicem Toletum confugere. Quumque Galliciam Portugalliamque spe voraret, armisque Garsiam quoque petisset, in prælio captus ope virtuteque Roderici quem Cidum cognominatum iam diximus, ab hostium potestate exemptus, atque seruatus est. is enim collectis ex fuga militibus incompositos fiducia victoriae Gallaicos adortus vicit, in eoque prælio Garsias occidit. Ipse Sanctius dignum factis vita finem sortitus est, à Vellido quodam per insidias interemptus. Tum Sancti frater Alphonsus à Toletō reuocatus, ante dimissus non est, quam iureiurando firmavit amicum se Regis Toleti semper fore. Cumque iam regnum Legionis & Asturum recepisset, à morte fratris obtainuit & Castellam. Sex habuit uxores, ex quibus deterioris sexus liberos quinque genuit. Denique filium quoque patrui nomine Sanctum, quem Zaida peperit Sibilia Regis filia, quæ simul ad verū Dei cultum Christiq; religionē transiit, appellata Maria dicitur. is Sanctius in acie cecidit aduersus Saracenos inito prælio. Suscepit Alphonsus ex pellice Therasiam, quæ nupsit Henrico Comiti Lothoringiæ, dotata Galliciæ parte quæ Portugallia nunc appellatur: vnde Portugalliae Reges originem trahunt. Alphonsus oppidum Toleti longa obliacione redigit in potestatem, defuncto iam Rege filioque quibuscum fœdus icerat, ac obstrinxerat fidem suam. Quumque rerum potitus esset annis quadraginta tribus, naturæ concessit, in cœnobio Diui Facundi cum Zaida uxore quæ & Maria sepultus, nullo superstite filio præter Alphonsum, quem genuit ex pellice Ximena, quum socius expeditionis in Antiochiam Tripolimque communi Christianorum principiū consilio suscepit & traieciisset in Syriam, ibique à partu puerum lustravit in vnda Iordanis, ex quo Iordanis est cognominatus. Alphonsus itaque Raymundi Berengariæ filius, Barcinonæ Comitis, & Viracæ superioris Alphonsi filiæ, post auum maternum regni gubernacula, vergentibus ad eum magna ex parte procerum studiis, accepit: et si diu cum Vitrico Alphonso Aragonum Rege, cui Viraca mater iterum nupserat, armis contendit: appellarique voluit Imperator Hispaniarum. Duos habuit filios Sanctum & Ferdinandum, puellasque totidem, Elisabeth ac Beatricem. Sanctum Castellæ, Ferdinandum Legionis Regem supremis tabulis instituit, excedit ab Arabum manibus & Cordubam, sed eiusdem generis alteri quem sibi fidum putabat, in feudum concessit, annoque quinquagesimo primo post initum regnum, morbo consumptus est, ad Baiezam, sub arbore quadam montis cui nomen est Demuladar. Sanctius tertius cognomento Desyderatus, Alphonsi septimi liberum natu maximus, à patre Castellæ regnum tenuit. Is ex Blanca coniuge filia Garsia Nauarræ Regis Alphonsum genuit. Cumque uno tantum regnasset anno, diem clausit Alphonso superstite. Cuius æatem Ferdinandus eo nomine secundus, Sanctii frater, respectam habens, eo deturbato Castellæ regnum occupat. Is Ferdinandus ante quam Sanctius ab humanis excederet, opera principum Legionis, ubi regnabat, in carcerem coniecius, quod in eos seruiret, certis deinde conditionibus emissus iterum Legione potitus erat. Interea dum Castellæ rebus incubat Alphonsus adhuc in cunis infans illustrium quorundam virorum pietate seruatur, ipseque Ferdinandus anno trigesimo primo sui principatus obiit diem. Paternum decus ad Alphonsum rediit Sanctii tertii filium, cognomento Bonum, qui ducta filia Regis Angliae Elionora, Sanctum genuit, quem infantem: Ferdinandumque quem adulterum agentemque annum vigesimum quintum, amisit: Henricum qui patri superstes rerum potitus est. Blancam præterea suscepit, Ludouici Francorum Regis matrem, eius qui post mortem consecratus est: & Berengariam quæ nupsit Alphonso Legionis Regi: Viracam quæ Regi Portugalliae iuncta est, & Elionoram quæ Regina fuit Aragonum. Gessit hic Alphon-

Alphonsus in Arabas bellum, sed primo parum prospere. Mox auctis opibus ingenti prælio vicit, in quo rumor est ad ducēta millia Arabum cecidisse, duce Milamoneino. Commissumque mox & ad Tolosam nauale prælium, pluraque loca quæ dum rem teneret Alphōsus sextus, Arabes occuparant, eorum eiecto præsidio recuperauit: annoque quinquagesimo tertio ex quo regnare cœpit, exiuit hominem. Per hoc ipsum tempus floruit autor se-ctæ prædicatorum Dominicus, ob vitæ sanctitatem relatus in diuos. Alphonsus huius appellationis nonus, Berengariæ vir, Alphonsique gener octaui, post obitum saceri, Castellæ regnum sibi vendicauit, Henrico vxoris sua fratre deiecto. Cumque regnasset annis duodecim, vita functus est. Henricus eo nomine primus, Alphonsi filius octaui, mortuo iam viro sororis Alphonso, paternum regnum recepit. is biennio post, apud urbem Palantiam cocto latere vulnus accepit in capite, dum luderet cum sodalibus, ex eoque biduo post morte occubuit. Itaque Ferdinandus eo nomine tertius, Alphonsi noni filius, in eius locum subiit, utroque regno Legionis & Castellæ potitus, vxorem duxit Beatricem Babantiq; ducis filiam, quæ liberos ei peperit sex, Alphonsum, Federicum, Emanuelem, Philippum, Sanctiumque, & Henricum. qua mox elata, Ioannam sibi iunxit ex Comite Pontis editam, quam matrem fecit ex Ludouico & Elionora. Multa fortiter & preclare gessit, omnibusque Hispaniæ fere finibus, Mauros exegit, præter Granatam, cuius tamen Regem stipendiarium sibi fecit. Per idem tempus Iacobus Aragonum Rex insulas Baleares ad verum Dei cultum perduxit. Regnauerat Ferdinandus annis trigintaquinque, cum dece-  
dens summum sui desiderium reliquit omnibus. Patri successit Alphonsus eo nomine decimus, qui Violantam Iacobi Regis Aragonum duxit, ex qua primo filiam suscepit nomine Berenguelam, mox & alios septem liberos, Ferdinandum quem viuus adhuc pater extulit, Sanctum qui post eum regnauit, Ioannem, Iacobum, Petrum, Berengariumque, & Elionoram. Patria profugus Alphonsi frater, Henricus in urbem venit, allectusque in ordinem senatorum Conradino studuit aduersus Carolum, eius nominis primum Siciliæ Regem. Sed Alphonsus Hispanorum leges aliis insuper additis illustratisque sensibus, ut ex v-  
su videbatur, in volumen rededit quod gentiliter Hispani vocant Partitas. Condendum præterea curauit & opus quod illi Generalem memorant historiam. Murtiamque recepit ab Arabibus, quam Granatae Rex auxiliis Maurorum qui traiecerant ex Africa fretus, vio-  
lato fœdere, cum multis præterea locis, & in his Sericia Bæticæ urbe, occuparat. Alagarbi Comitatum Regi Portugalliae dedit, in dotem filiæ quam ex pellice genitam ei collocarat, exindeque Portugalliae Reges Alagarbi dicti sunt. Immunes præterea Portugallie Reges fecit in gratiam Dionysii sui nepotis ex filia natu maximi, ne cogerentur edicto Regum Legionis & Castellæ ad conuentus adesse, qui singulis annis peraguntur, Hispanorum lingua curiæ vocati, nec equitum trecentorum turmas auxiliares aduersus Arabas mittere, sicut ex conditionibus fœderis altringebantur. Variantibus in creando Imperatore sententiis, ei Imperium ultro delatum est. Suadente etiam pontifice, ut capesseret, abnuit, suoq; iuri renunciauit apud Belligradum prope Auinionē vitandæ seditionis ecclesiasticae causa, ut videri voluit. Aduersus Ludouicum Francorum Regem quem consecratum demonstra-  
vimus, de regni iure contendit, quod is ex Blanca Alphonsi octaui filia natu maxima editus, Alphonso posthaberi iniurium putabat, ex Berenguella proxima Alphonsi octaui filia trahente originem. nam Berenguella Ferdinandum peperit, huius Alphonsi de quo nunc agimus, patrem. Demum data in vxorem Blanca Ludouici filia Ferdinando Alphonsi liberum natu maximo, cui cognomentum de Lacerda fuit, disceptationi finis impositus. Cumque Ferrandus de Lacerda viuo patre diem clausisset, Alphonso Ferrandoque de Lacerda superstitibus, neuter in regnum successit, Sanctio posthabiti secundo genito, qui mortuo patre rerum potitus est. Idem Alphonsus profitebatur Astronomiam syderalemque scientiam, in qua tanta cum laude versatus est, ut quæ extant tabulæ, ab eo dictæ sint Alphonsinæ. Fama tenet, Alphonsum à Sanctio filio, cum deposito Imperio rediret ad regnum, non esse receptum, portasque vndique in eum clausas, excepta Murtia, quæ perstittit in eius fide. vnde priuilegio consecuta est, ut septem coronas insignibus suis imponeret, moriensque Alphonsus anno principatus sui trigesimo secundo, Murtiæ condi voluit. Sæctius eo nomine quartus, adhuc viuo patre Regem se gessit (ut quidam volunt) & mortuo successit. Ex Maria Infantis Alphonsi filia cognomento de Molina, fratriq; Ferrandi tertii, quatuor habuit liberos, Ferrandum, Petrum, Philippumque, & Henricum. Cumque Ferrandi de Lacerda natu maximi filius Alphonsus è carcere quo seruabatur apud Aragonum Regem Iacobum, quibusdam principibus operam sibi nauantibus esset emissus, arma corripuit in Sanctum patruum principatus incubatorem, Castellamque regio nomine solici-  
tabat ad defectionem, sed à Iacobo desertus, infecta re discessit. In Sanctum præterea bel-

lum sumpsit Ioannes eius frater, fatus auxiliis Maurorum Regis Ballamarini, sed eius quoque consilia fortuna destituit. Sanctius itaque cum regnasset annis vndecim, fatus functus est. Regnum Ferdinandus exceptit, eo nomine quartus, Sanctii filius, quod annum agens ætatis nonum per matrem gerebat. Vnde huius pueritia, illius sexu contempto, plures in eum arma sumperunt, vna ex parte Aragoniae Nauarræque & Portugallæ Reges, ex altera Alphonsus de Lacerda, Ioannesque patruus, quorum alter se Castellæ Regem, alter Legionis asserebat, iunctis opibus in eum mouerunt. Pietas tamen & prudentia matris incolume regnum filio seruavit, exceptis aliquot oppidis ex prouincia Murtiæ, quibus Aragonum Regi Iacobo cessit, arbitratu Dionysii Regis Portugallæ, qui disceptator inter eos, litem secundum Iacobum dedit. Cumque regnasset annos quindecim, duosq; non obscuror loco natos, perduellionis reos ex altissima turri præcipites dari iussisset, iisque constanter ab se crimen amolirentur, nec aliquid profecissent, eo confugerunt, vt dicerent se diuinū tribunal appellare, proindeque meminerit ad dies triginta iudicio sistere. mos enim Gallicis & Hispanis est, vt qui sibi iniuriam fieri queritur, aduersarium moneat, vt ad certam diē coram superiore compareat. Itaque Ferdinandus adueniente trigesimo die, cum dormire crederetur, in fata corruit. Alphonsus eius nominis vndecimus, Ferdinandi quarti filius, in patris locum successit, ductaque Maria Portugallæ Regis filia, Petrum genuit. Ex Leonora vero de Guzman pellice, Henricum Comitem Trastamaræ constituit, Federicum D. Iacobi Magistrum fecit: ex eadem præterea Sanctium, Telium, Petrumque, & Didacum, quorum duos ultimos Petrus eorum frater interimendos curauit. Alphonsus vbi satis in suos crudeliter & iniurie debacchatus est, in Arabas impetum conuertit, ab iisque saepius prælio viatis plura recepit oppida, rerumque potitus annis circiter quadraginta, pestis contagione correptus, obiit in obsidione castri de Gibraltar, eo die Veneris quo dominicæ passionis memoriam recolimus. Petrus eo nomine primus, Alphonsi filius, habenas imperii suscepit. Huic vxor initio fuit Blanca Borbonii ducis filia, quam paulo post instigante Pallida sua pellice dimisit, per causam quod aureo gemmato que donatus ab ea cingulo, compert inesse vim magicam Hebraei cuiusdam arte insertam, adeo vt aliquando serpente succinctus sibi videretur. Fama tenet eum sequisse in necessariis, atque per interpositum fœdus in socios, ipsumque Federicum D. Iacobi Magistrum ab eo obtruncatum. Cumque Machometus & Rubeus inter se de regno Granatæ contendenter, aduersæque factionis opibus impar Rubeus ad Petrum configisset, humano diuinoq; iure violato, hospes supplice & olim socius ab eo iugulatus est, inhibitu thesaurorum quos aduexisse secum putabatur. Eius exinde fratres, Telius, Sanctiusque, & Henricus, ad Aragonum Regem se recipiunt, impetratoque auxilio Castellæ fines adoriuntur, confluentibusque ad Henricum Gallis qui vulgo societas appellantur, Regis nomen obtinuit. Vnde Petrus in Vasconia profici compulsus, Anglos qui Vasconiam tenebant, ostentata præmiorum prædæque spe pellexit, vt suppetias sibi ferrent, Principemque de Gales Angliæ natu maximum secum mitteret: initoq; prælio aduersus Henricum, victoria potitus, eum regni finibus exegit. Henricus in Galliam venit, instauratoque bello Francorum Regis auxilio, Petrum superauit apud oppidum de Monuel, intraque arcem compulsum obsedit, rebusq; suis diffidentem coegit ab eo colloquii facultatem petere. Qua non impetrata noctu penetrauit in tabernaculum Beltrandi de Clarequin Franciæ Conestabilis & auxilii Gallici præfecti. quo seu forte, seu de industria cum venisset Henricus, dubium imprudente ne an concio Beltrando, Petrum stricto gladio confudit vnde uigesimo sui principatus anno. Henricus eo nomine secundus, frater Petri nothus, interempto Petro, regno potitus est, et si non omnes eius imperata fecerunt. Vxore ducta Ioanna Ioannis Emanuel Infantis filia, Ioannem genuit eū qui post patrem regnauit, & Elionoram quæ nupsit Regi Nauairæ. Cumq; regnasset annis octo patrato parricidio, nihil præter naturam præterque fatum passus è vita migravit. Ioannes eo nomine primus Henrico patri successit, Elionoraque Petri regis Aragoni filia matrimonio sibi iuncta, suscepit Henricum quem superstitem Regemq; Legionis & Castellæ reliquit, & Ferdinandum qui post Aragonum Rex euasit. Amissaque Elionora, Beatrice Ferdinandi Portugallæ Regis vnicam filiam superduxit, ex qua numerosam prolem sustulit: defunctoque Ferdinandu socero persequens vxoris ius quorundam principum studiis, cū magna manu Portugallæ fines ingreditur. cui Ioannes Ferdinandi filius ex pellice quorundam suffragiis eiusdem in regium fastigium, quanquam professus religionem quæ militaris appellatur, egressus obuiam repulit, infestaque re exercitum reducere coegit. Aduersus hunc Ioannem Rex Angliæ bellum gessit, quod regnum Legionis & Castellæ spectaret ad Aleuastriæ Clocestriæque ducem suorum liberum natu maximum, quem sibi Constantia pepererat filia Petri Legionis & Castellæ Regis, eius quem Ioannis pater Henricus

ricus interemerat. Verum Ioannes exclusa Constantia causam suam sic agebat, Infantem Ioannem Emanuel eius avum maternum ex filia Ferdinandi de Lacerda natum, Alphonsi decimi nepre ex filio natu maximo. Sed Angli cum traiecerent in Hispanias, post aliquot prælia pacem Ioanni dederunt his conditionibus, ut Catharina Ducis filia nuberet Henrico tertio prædicti Ioannis filio, viuenteque patre Henricus & Catharina principes Asturum declararentur. Itaque regno constituto, Ioannes equi lapsu oppressus interit vnde cito principatus anno. Patri successit Henricus quem tertium supra nominauimus, agens ætatis annum duodecimum, qui mox adultus, ex Catharina quam nupsisse ei dictum est, duas habuit filias, quarum altera Maria, altera Catharina materno nomine dicta est. Cumque de cetero spem sobolis abiecissent ob aduersam Regis valetudinem Reginæque corpulentiam, Ioannem suscepserunt. Ferdinandum præterea fratrem liberaliter habuit, & multis maximisque donis in Hispania regnante prosequutus est. Hic est ille Ferdinandus numerosè prolis pater ex uxore Comitissa de Albuquerque susceptæ. Nam priusquam regno potiretur, ex ea genuit Alphonsum natu maximum, qui Rex Aragonum fuit & Siciliæ: Ioannem qui defuncto Alphonso fratre Aragonum regno potitus est. Ferdinandi quinti patrem, qui nobis ista prodentibus apud Castellam rerum potitur, Henricum præterea collegii D. Jacobi Magistrum: Sanctumq; Magistrum quoque de Alcantara: atq; Petrum, qui iactu molaris excusso tormento occubuit, Alphonso fratre Neapolim obsidente. Deterioris autem sexus habuit Mariam, quæ matura mox ætate nupsit Henrico quarto Castellæ Regi, Ioannamq; Portugalliae Reginam. Magnificus in ædificando fuit Henricus, edificiaq; tum sacra tum prophana ad usus hominum multa cōdidit. Mittēdis vltro citroq; legationibus ad alienigenas & diuersi quoq; dogmatis principes apprime studuit. Mariam quoq; filiam suo nepoti iunxit, Alphonso Ferdinandi filio. Toleti morbo solitus obiit, cum regnasset annis sexdecim, ætatis anno duodetrigesimo. Ioannes ergo secundus Hērico patri mortuo successit infans adhuc in curia, eiusq; rem Catharina mater & Ferdinandus patruus administrarunt. donec ad pubertatem peruenit, annoq; ætatis quartodecimo regni gubernacula subiit, Mariamq; Ferdinandi patrui filiam duxit uxorem, ex qua genuit Henricum eius nominis quartum, quæ cum mature decessisset, altera coniuge superducta, suscepit Alphonsum & Elisabeth. Eodem tempore Martinus Aragonum Rex ultimus, absq; prole diem clausit, ortaq; de regni iure contentione inter Ioannē, Ferdinandumq; patrum Andegauie Ducentum Vrgelliq; Comitem, quod vterq; se propriorem Martino materno stemmate prædicaret, armis regnum Ferdinandus afferuit & præsidiis regni Castellæ. Multum poterat apud Ioannem autoritate & gratia Aluarus de Luna ad inuidiam usq;, adeo ut eius patruelies Ioannes & Henricus frātres Alphonsi Regis Aragonū conspirantes vna cum pluribus in eum bellum mouerint, quod Aluaro dimisso Ioānes extinxit. Sed Aluarū non multo post, comprobante Regina suisq; patruelibus, ad se reuocatum recepit, iterumq; facta in eum conspiratione, habituq; vtrinq; delectu, leui prælio primum congressi sunt, deinde gliscētibus animis acriter est pugnatum, donec Ioannes & Henricus accepta clade fugæ se commiserunt, Ferdinandusq; paulo post ex vulnera in acie accepto decessit. Itaq; D. Jacobi Magistratus Henrici morte vacuus, Aluaro collatus est: sed ea fortuna propria diurna illi non fuit. nam paulo post à Ioanne coniectus in carcerem, capitali supplicio affectus est in valle quam vocant Toleti. Ioannes anno regni sui quinquagesimo diem clausit extremum, superstite Henrico filio quem viuens in regni consortium assumpserat. Henricus eo nomine quartus, inito principatu, Blancam Regis Aragonum filiam matrimonio sibi iunxit, eaq; dimissa superduxit Heduardi Portugaliae Regis filiam nomine Ioannam, quæ dubium pepererit ne an sibi supposuerit pueram Elisabeth, quam vulgo pro Regis filia colebant omnes. Henricus contra Mauros exercitu ducto maximis eos cladibus affecit, adiutus auxiliis regni sui principum Ioannis de Guzman Ducis Metinæ, Ioannis Pacheco, Marchionis de Villena, Petri Giron Magistri Calatravæ, Federici eius regni Almatici, Ecclieci Lupi Marchionis de Mendoza, Altari de Stumiga Placentini, Ioannis Pimantel Benaventil, Aluari de Toleto de Alua, Ioannis Mauriques de Castaneda, Roderici Mauriques de Paredes, Gabrielis Mauriques de Orsono Comitum, itemq; Comitum de Aro. Recépit oppida de Gilbetras, Castrum de Estipona prope Malicam, & oppidum de Alchidona, quæ Maurorum præsidiis tenebantur. Elizabeth eius filiam sobrino suo collocavit Regis Portugalliae filio qui patri successorus erat, sed Henrici soror Elizabeth sua quorundam principum clam fratre curabat à Ferdinandio Ioannis Aragonum Regis filio duci in uxorem. Nam rumor erat, Elizabeth quæ Henrici filia putabatur, à matre fuisse supposita, cum satis constaret Hēricum genitalibus esse debilem, neq; per naturam patrem fieri posse. Qua spē Elizabeth elata, regni ius ad se peruenturum animo præsumebat. Itaque Henrico non ita multo post

Henricus Regis obitus.

ab humanis exempto, omnibus opibus utrinque ad arma itum est, quum Portugalliae Rex Elizabeth Henrici filia, Ferdinandus alterius Elizabeth Henrici sororis ius tueretur. Victoria penes Ferdinandum fuit, regnoq; Castellæ cum coniuge potitus est. Ferdinandus ergo quintus, ac Elizabeth tori regnique consors, paribus auspiciis administrabant omnia, bellumque suscepserunt, & ad pietatem simul & ad gloriam maximum. nam Bætice partem quam vocant Granatam, Maurique præsidiis annos circiter octingentos occupatae tenebant, adorti sexto demum anno receperunt, sæpiissime fusis acie Mauris, qui maximis opibus obnoxii resistebant, pulsisque Mauris Machometique superstitione, templa Deo optimo maximo condiderunt, veri cultus & Christianæ religionis inducto ritu: vnde Ferdinandus Catholici cognomentum sortitus: Elizabeth ex Ferdinandando peperit unicum filium, cui Margaritam de Austria collocavit, eam cui Carolus octauus Francorum Rex nuncium remisit, sed nulla suscepta prole superstibus parentibus diem clausit. Habuit etiam puellas quatuor, quarum prima Regi Portugalliae nupta, amissio viro cum rediisset ad patrem, iterum Portugalliae Regi collocata est, ei qui mortuo sine liberis puella socero, in eius locum successit, ostentata spe si puellæ parentes absque virili sobole decepissent, adiutum sibi liberisve suis in regnum Castellæ fore: secundam Philippus Archidux Austriæ Comesq; Flandrensis duxit: tertia Regis Angliae natu maximo filio pacta est: que remanet quarta adhuc innupta est. Hispaniam præterea purgauerunt omni superstitione, exactis inde Iudeis omnibus, & iis qui Iudeorum ritibus imbuti nominetenus Christiani, vulgo Marrani dicuntur, quorura magna vis erat. Vix annus agebatur à morte filii, & ecce filiam cui regnū destinauerant, mæstissimi parentes amissam lugent. Nec in alia quam Regis Angliae filio desponsatam demonstrauimus, admodum felices extiterunt. nam deducta ad virum paulo post vidua, secundo Regis Angliae filio pacta est. Itaque eam quæ Philippo duci Austriae collocata est, cum viro successioni designant. Initio præterea foedere cum Ludouico duodecimo Francorum Rege, Alexandro sexto Pontifice maximo subscripte, paciscitur, ut paribus auspiciis opibusq; regnum Neapolis, eiecit Federico Castellæ necessario recipi- rent. Aragonei Ferdinandi filius erat Federicus ab Alphonso maximo natu proximus, qui post Alphonsi filium Ferdinandum secundum, rerum potitus nondum constitutis regni viribus, vir alioqui nihil minus quam ad arma natus, Gallorum virtute facile pulsus est. Itaque potentissimi duo Reges aliquandiu regno Neapolis quo iure potiti sunt, donec eorum culpa qui limetes inter agros qui cuique cederent, in confinio posuerunt, ingens exarsit bellum, primoq; prælio à Gallis Hispani intra Baroli moenia compulsi sunt, seq; arcium præsidio tuebantur. Exinde Gallorum negligentia qui veluti pacato iam regno per ocium potiebantur, instauratis opibus iterum bellum fortunam tentant apud Cidoniam, viatisq; Gallis Neapolim recipiunt, aliaq; mox oppida, que Neapolis exemplum sequita, deditio- nem fecerunt præter Caetam, quam Gallorum præsidio firmatam Hispani obsederunt.

*Libri tertij finis.*

---

## GENEALOGIA, SIVE LINEA SUCCESSIONIS, REGVM HISPANIAE,

AB ADAMO VSQ; AD DILUVIUM, ET DE IN-

ceps per temporum seriem ad nostram usq; ætatem deducta: recens ex Italico

translata & in hunc ordinem redacta. Similiter etiam diuersi Prin-

cipium & Ducum militarium catalogi

continentur.

*Geneseos cap. 5.*

- 1 Adamus, vixit annos
- 2 Seth
- 3 Enos
- 4 Cainam
- 5 Malaleel
- 6 Iaret
- 7 Enoch

<i>Anni vite.</i>	<i>s</i>	<i>Matusalem</i>	<i>969</i>
930.	9	Lamech	777
912.	10	Noe	950.
905.		Ab orbe condito usq; ad diluvium elapsi sunt	
910.		anni 1656.	
895	1	Iaphet, tertius filius Noe.	
962	2	Tubal, quintus filius Iaphet, & nepos Noe,	
365		primus Hispanie cultor & Rex, anno post diluvium	

143.

143. regnauit annis 155.		16 Sicorus, an. diluuii 695. regnauit	46
3 Iberus, anno post diluuium 298. regnauit 37.		17 Sicanus, an. diluuii 726. regnauit	37
4 Iubalda, anno diluuii 336. regnauit 64.		18 Siceleas, an. diluuii 757. regnauit:	49
5 Brigus, an. diluuii 400. regnauit 52.		19 Lusus, anno diluuii 801. regnauit	31
6 Tagus, anno à 452. dilu. regnauit 33.		20 Siculus, an. à diluuiio 832. regnauit	60
7 Baetis, an. à diluuiio 482. regnauit 31.		21 Testa, an. diluuii 893. regnauit	74
8 Deabus, an. à dilu. 514. regnauit 33.		22 Romus, anno diluuii 968. regnauit	33
9 Geron, an. à diluuiio 549. regnauit 42.			
10 Hercules, cognomento Orus Libyus, in Hispaniam venit an. post diluuium 658			
11 Hispanus, an. à dilu. 590. regnauit 17.			
12 Hispanus, an. à dilu. 608. regnauit 32.			
<i>Ab hoc Hispano Provincia ista, quæ prius ab Ibero Rege nominabatur Iberia, Hispanie nomen obtinuit, quod in hunc usque diem perdurat: nimur quod præclarus &amp; multis virtutum ornamentis insignis Princeps fuerit, suasque ditiones illustrauerit.</i>			
13 Hercules anno diluuii 640. reuersus ad imperium regnauit 19.		23 Palatus, post dil. 1001. regnauit	24
14 Hesperius, an. dilu. 669. regnauit 11.		24 Cacus. à diluuiio 1025. regnauit	36
15 Atlas, an. diluuii 682. regnauit 13.			
<i>Hactenus enumeranimus priscos Hispanie Reges, &amp; primos cultores &amp; fundatores, de quibus certo equidem constat, quorumq; res gestas non Ethnici solum plerique, sed etiam Christiani Historici copiose descriperunt, quas nos breuitatis causa omittimus. Præter hos vero Reges quos supra recensuimus, nullos in Hispanie regno Priuipes Regesve successisse comperimus, usq; ad Carthaginensium &amp; Romanorum atatem. Magnas enim contentiones Romani cum Carthaginensibus &amp; diurna bella gesserunt de imperio Hispanie. In quibus victores ad extreum Romani pulsis Carthaginensibus, Hispaniam sibi vectigalem fecerunt: quam quidem ad Gotthorum aduentum usq; sub imperio semper habuerunt.</i>			
30 Post Abidum Regem nullus in Hispania regnauit, ob ingentem que in ea fuit, & celeberrimam illam ariditatem: adeo ut P. Magister Petrus Medina, libro de præclaris & memorabilibus rebus Hispanie, cap. 8. testetur. per 6. & 20. continuos annos nullam in ea pluuiam decidisse. Cuius quidem siccitatibus omnes Hispanorum Historici constanter & diserte meminerunt. Quod cum nusquam terrarum amplius contigisse legatur, ob eximiam eius raritatem hic annotare libuit. Qui vero fuisse hac de re cognoscere desiderat, quonam id pacto acciderit. is authorem quem dixi, legat, & Hispanie præterea Chronicon, à D.P. Ant. Beut. primo editum, translatum deinde Italice, M. Alfonso Villoa interprete, c. 12. par. 1. Medina vero ille, quem dixi, c. 9. & Beut. exteris nationes commemorant, que diversis temporibus in Hispaniam migrarunt: quodque Hispani sine ullo Rege variis caternis & itineribus per 26. aut 28. annos ex Hispania discesserint. Destituta porro successore Hispania fuit, anno post viuine sale diluuium 1332. ante natum vero Christum millesimo. Ingens illa quam supra narrauimus, multoq; nobilissima siccitas, circa annum à diluuiio 1332. contigisse legitur, & ante Domini nostri Iesu Christi natalem 1009.			
25 Erythreus, an. dilu. 1061. regnauit	88		
26 Mellicola, an. à dilu. 1131. regnauit	74		
27 Abidus anno dilu. 1292. regnauit	35		

*Hic Valentiam urbem nobilem & Regni metropolim, Romanum olim à se vocatam, condidit, circa annum diluuii 970.*

*Duorum iiborum regum temporibus venit in Hispaniam Hercules Græcus, patria Thebanus, & multa ibidem oppida, præcipue vero ciuitatem Giblarensem fundauit, & Cadiz urbem, Gades veteribus appellatam, illustrem admodum redditum.*

*Erythreus, an. dilu. 1061. regnauit* 88  
*Mellicola, an. à dilu. 1131. regnauit* 74  
*Abidus anno dilu. 1292. regnauit* 35

*Hactenus enumeranimus priscos Hispanie Reges, & primos cultores & fundatores, de quibus certo equidem constat, quorumq; res gestas non Ethnici solum plerique, sed etiam Christiani Historici copiose descriperunt, quas nos breuitatis causa omittimus. Præter hos vero Reges quos supra recensuimus, nullos in Hispanie regno Priuipes Regesve successisse comperimus, usq; ad Carthaginensium & Romanorum atatem. Magnas enim contentiones Romani cum Carthaginensibus & diurna bella gesserunt de imperio Hispanie. In quibus victores ad extreum Romani pulsis Carthaginensibus, Hispaniam sibi vectigalem fecerunt: quam quidem ad Gotthorum aduentum usq; sub imperio semper habuerunt.*

*Post Abidum Regem nullus in Hispania regnauit, ob ingentem que in ea fuit, & celeberrimam illam ariditatem: adeo ut P. Magister Petrus Medina, libro de præclaris & memorabilibus rebus Hispanie, cap. 8. testetur. per 6. & 20. continuos annos nullam in ea pluuiam decidisse. Cuius quidem siccitatibus omnes Hispanorum Historici constanter & diserte meminerunt. Quod cum nusquam terrarum amplius contigisse legatur, ob eximiam eius raritatem hic annotare libuit. Qui vero fuisse hac de re cognoscere desiderat, quonam id pacto acciderit. is authorem quem dixi, legat, & Hispanie præterea Chronicon, à D.P. Ant. Beut. primo editum, translatum deinde Italice, M. Alfonso Villoa interprete, c. 12. par.*

*1. Medina vero ille, quem dixi, c. 9. & Beut. exteris nationes commemorant, que diversis temporibus in Hispaniam migrarunt: quodque Hispani sine ullo Rege variis caternis & itineribus per 26. aut 28. annos ex Hispania discesserint. Destituta porro successore Hispania fuit, anno post viuine sale diluuium*

*40 1332. ante natum vero Christum millesimo. Ingens illa quam supra narrauimus, multoq; nobilissima siccitas, circa annum à diluuiio 1332. contigisse legitur, & ante Domini nostri Iesu Christi natalem 1009.*

### POPVL SIVE NATIONES EXTERNÆ, QVÆ POST INGENTEMILLAM SICCITATEM IN HISPANIAM MIGRARVNT, EAM QVE occupatam rexerunt usque ad successionem Regum Gotthorum.

*Celiorum sive Francorum in Hispaniam aduentus. Vasæus.*

*bus factum esse, testis est Diodorus Siculus lib. 6. Vasæus & alii.*

*Lydorum in Hispaniam aduentus. Franciscus Tarapha.*

*Audentus Phrygum. Franc. Tarapha.*

*Thracum in Hispaniam aduentus. Franc. Tarapha.*

*Cypriorum aduentus. Tarapha.*

*Rhodiensium aduentus. Franciscus Tarapha, Vasæus.*

*Phœnicum aduentus. Franc. Tarapha. Vas.*

*Celtiberorum aduentus. Tarapha.*

*Aegyptiorum aduentus. Tarapha,*

*Milesiorum aduentus. Tarapha.*

*Carum aduentus. Tarapha.*

*Lesbiorum aduentus. Tarapha.*

*Phocensium aduentus. Tarapha.*

Nabuchodonosoris aduentus. Tarapha.

Gracorum aduentus. Vasæus.

His successerunt irruptiones & bella Carthaginensium. Vasæus cap. 11. M. P. Medina, Franciscus Tarapha & alii.

Aduentus Argantonii. Vasæus.

Opes repertæ hoc tempore.

Consentient multi historici, &c.

Amilcaris Barcinonis aduentus.

Asdrubalis aduentus.

Annibalis aduentus.

Cn. Scipionis aduentus. Vasæus.

Consules à Romanis inueniti in Hispaniam.

Cuius deinceps imperium penes Imperatores sequentes fuit. D. P. Antonius Beuterus parte 2. Vasæus cap. 12. M. P. Medina capite 11. Franciscus Tarapha & alii.

**CATALOGVS IMPERATORVM, QVI DOMINATVM ET IM- 10  
PERIVM HISPANIAE TENVERVNT, EAMQVE PER PRÆFECTOS ET PRÆSIDES  
administrauerunt paulo ante Natalem Domini nostri Iesu Christi, donec tan-  
dem à Gotis occuparetur, &c. Vasæus capite 13. Franc. Tarapha,  
D. P. Antonius Beuterus parte 2. & complures alii.**

1 C. Julius Caesar.

2 Octavianus Augustus. Caesar.

Hic Saldubam instaurauit, & à suo nomine Cesaraugustam appellauit, quæ nunc Saragossa dicitur, ciuitas primaria, & iure meritog. sancta cognominata, & insignis Aragonum regnime tropolis. Quod accidisse potuit circa annum à diluvio 2276. aut 2286. ut aliis placet: ante Christum vero natum 42. Franciscus Tarapha.

**NASCITVR CHRISTVS Dominus noster, creator & Salvator mundi, anno imperii supradicti Imperatoris Octaviani Augusti quadragesimo secundo, diluvii anno 2305.**

3 Tiberius Augustus.

Benedictissima Virgo, gloria & sancta Maria, Domina nostra, & Regina Angelorum, in ripa fluminis Ebri, prope Cesaraugustam Aragonum urbem, in columna marmorea, gloriose Apóstolo Iacobo apparuit. Qui eodem deinceps in loco facellum angelicum iussus exstruxit, & eius honori ac nomini consecravit, quod Diua V.iginis à columna Cesaraugustana cognominant: ob pylam sive columnam, in qua videndam ipsa se præbuit. Quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum Imperii Tiberii 20. Anton. Beuterus in Chron. cap. 23. Hoc de miraculo soçu multæ in eadem S. Ecclesiæ tabula supersunt.

4 Caius Caligula.

5 Claudio.

Anno imperii huius Claudi primo, capite mul-tatus ab Herode Ierosolymæ fuit Sanctus Iacobus Apostolus, unum Iosia, qui in ipso necis momen-to conuersus fuit. Sanctum eius corpus in Hispaniam deinceps adductum est, & Compostella re-conditum, urbe Gallicie, sic olim dicta, quæ nunc Sancti Iacobi nomen adepta est, celebrata plurimū continuo peregrinorum hominum concursu, qui religionis ergo eo commeant, ut sanctissimi simul & gloriosi Hispaniae protectoris & antesignani corpus inuisant. Factum autem hoc est anno nati Christi 43. Discipulos gloriosus Apostolus Sanctus Iacobus septem aut ut alius placet, nonem habuit:

qui diuersis in locis Hispaniae, dum sanctam Catholicam Domini nostri Iesu Christifidem feruenter ac sedulo propagant, martyrii palmam adepti sunt.

1 Athanasius.

2 Theodorus. Hi duo discipuli ad ministerium suum predictæ Ecclesie, quæ Diua Virgini in columna Cesaraugustana dedicata fuit, remanserunt superstites.

1 Torquatus, Gadibus martyrium passus est.

2 Secundus, Albae.

3 Andalectius, Almeria.

4 Cresiphon, Vergi.

5 Cæcilius, Eliberi.

6 Euphrasius, in oppido Iaen.

7 Sicilius, Caçorlae.

Hi septem, iis quos dixi, locis martyrio vietam finierunt. Vincentius part. 2. libro nono, capite 6.

8 Nero. Anno Imperii Neronis supremo, eiusdemq. mandato, Diuis Apostolis Petro & Paulo caput uno eodemq. die truncatum fuit, anno Christi 70.

9 Sergius Galba.

10 Otho.

11 Vitellius.

12 Domitianus.

13 Nerua.

14 Trajanus.

15 Adrianus.

16 M. Antoninus Pius.

17 M. Antoninus Aurelius.

18 Commodus.

19 Aelius Pertinax.

20 Seuerus.

21 Caßianus cognomento Antoninus Caracalla.

22 Macrinus Opilius.

23 M. Aurelius Antoninus, cognomento Helio-

24 Alexander Seuerus. (gabalus).

25 Maximinus Iulius.

26 Gordianus.

- 27 *Philippas.*  
 28 *Decius.*  
 29 *Gallus Hostilianus & Volusianus.*  
 30 *Valerianus & Galienus.*  
 31 *Claudius II.*  
 32 *Aurelian.*  
 33 *Tacitus.*  
 34 *Florianus.*  
 35 *Probus.*  
 36 *Carus una cum filii.*  
 37 *Diocletianus & Maximinus.*

*Horum temporibus quonia instituta aduersus Ecclesiā tertia fuit persecutio, Cæsaranguste, Deciano Praeside, martyrum subierunt, una cum S. Engratia, equites decem & octo: quorum hac sunt nomina.*

*Sancta Engratia.*

- 1 *Sanctus Lupertius Tius.*  
 2 *S. Quintilianus.*  
 3 *S. Cassianus.*  
 4 *S. Matutinus.*  
 5 *S. Publius.*  
 6 *S. Vrbanus.*  
 7 *S. Faustus.*  
 8 *S. Martianus.*  
 9 *S. Successus.*  
 10 *S. Felix.*  
 11 *S. Ianuarius.*  
 12 *S. Primitius.*  
 13 *S. Enotus.*  
 14 *S. Sicilianus.*  
 15 *S. Optatus.*  
 16 *S. Frontonius.*  
 17 *S. Apodemius.*  
 18 *S. Sicilius.*

*Qui quidē omnes Cæsarangustae sepulti sunt, in quodam insignis Ecclesiæ Doctoris D. Hieronymi monasterio, quod S. Engratiae nominant. Sunt ibidem sepulta corpora Sancti Lamberti & innumerabilium martyrum, qui Cæsarangustani dicuntur, & in eadem Imperatorum persecutione quam aduersus Ecclesiam mouerunt, à Deciano martyres effecti sunt. Qui Decianus Valentia & Vincentium martyrio affecit, & S. Valerium, Cæsarangustæ tunc temporis Episcopum, ob senilem atatem exilio damnauit.*

38 *Constantius & Galerius.*

39 *Constantinus Magnus. Hic omnium Imperatorum primus Christianus fuit. Idem ille ciuitatem Romanam cum omnibus, quæ Pontifices Romani hodie possident, aliisq; pluribus que iam pridem amiserunt, ecclesia donauit. Sedem imperii Constantinopolim, urbem à suo nomine sic appellatam, cum olim vocaretur Byzantium, translata. Fuit bonus & præclarus Princeps.*

40 *Constantinus, Constantius, Constans.*

41 *C. Julianus Apostata.*

42 *Iouinianus.*

43 *Valentinianus & Valens.*

44 *Gratianus & Valentinianus.*

45 *Valentinianus & Theodosius.*

46 *Theodosius una cum filii.*

47 *Arcadius & Honorius.*

48 *Honorius cum Theodosio.*

*De supradictis Imperatoribus multi scripserunt historici, ut & de ceteris qui ordine sunt subsecuti, usq; ad Catholicum & Christianissimum Imperatorem Carolum quintum, Hispania Regem, sanctæ & benedictæ memoria: quorum nomina, cum à tot ac tantis eorum vita prolixè descriptæ sint, hic prolixitatis euitanda causa prætereo. Vnum excipio, quem placitum nō dubito, si legatur, tam ob elegantiam stili quo vñs est, quam ob historiæ sua de Imperatorum vitis amplitudinem. Appellatur is Petrus Messias, Hispanensis, ex equestri ordine vir nobilis. Cuius opus, Hispanico primum idiomate conscriptum, non minori diligentia quam fide, M. Alfonso Vlloa Italice verit, frequenter à nobis supra productus in mediū. Quo etiam authore conscriptam habemus Caroli quinti vitæ, imperatoris glorioſissimi: cuius anima perenni gaudio fruatur in celis.*

*Alanorum in Hispaniam aduentus. Vasæus cap. 14. Fran. Tarapha.*

*Vandalorum in Hispaniam aduentus. Vasæus, Franciscus Tarapha.*

*Sueorum in Hispaniam aduentus. Vasæus cap. 14. Franciscus Tarapha.*

*Gotthorum in Hispaniam aduentus, anno Domini nostri Iesu Christi 343. aut, ut aliis videatur, 400. D.P. Ant. parte 2. Vasæus cap. 15. Fran. Tarapha. M.P. Medina c. II.*

CATALOGVS REGVM GOTTHORVM QVI IN  
 HISPANIA REGNARVNT, VSQVE AD INFANTEM  
*sive sanctum Regem D. Pelagium. Vasæus, Franciscus Tarapha, D.P. Antonius parte secunda, & alii.*

1	<i>Radagaisus, anno D. N. Iesu Christi.</i>	308.	7	<i>Theoredus, anno D. N.</i>	439.
2	<i>Attanaricus, anno D. N.</i>	369.	8	<i>Turismundus, anno D. N.</i>	453.
3	<i>Alarius, anno D. N.</i>	382.	9	<i>Theodoricus, anno D. N.</i>	454.
4	<i>Ataolfus, anno D. N.</i>	411.	10	<i>Enricus, anno D. N.</i>	467.
5	<i>Sigericus, anno D. N.</i>	416.	11	<i>Alarius II. anno D. N.</i>	484.
6	<i>Vallia, anno D. N.</i>	417.	12	<i>Sisalettus, anno D. N.</i>	507.

13	<i>Theodoricus II. anno D.N.</i>	511.	<i>D.N.</i>	621.
14	<i>Amalaricus, anno D.N.</i>	526.	<i>Rechimerus anno D.N.</i>	629.
15	<i>Theodius, anno D.N.</i>	531.	<i>Sisenandus, anno D.N.</i>	631.
16	<i>Theodiscus, anno D.N.</i>	548.	<i>Suintilla II. anno D.N.</i>	636.
17	<i>Aquila, anno D.N.</i>	549.	<i>Tulga, anno D.N.</i>	642.
18	<i>Athanagildus, anno D.N.</i>	554.	<i>Cindasuindus, anno D.N.</i>	644.
19	<i>Luiba, anno D.N.</i>	568.	<i>Recesuindus, anno D.N.</i>	650.
20	<i>Leouigildus, anno D.N.</i>	569.	<i>Bamba. Religiosissimus hic Princeps fuit. Animaduertit in aliquot sibi rebelles, &amp; reformatum in Toletano Concilio fines Episcopatum Hispaniae, multaque notatu digna in regno suo gesit, anno D.N.</i>	10 650.
21	<i>Riccareodus, primus Gotthorum Rex Catholicus, anno D.N.</i>	586.		
22	<i>Luiba II. anno D.N.</i>	601.		
23	<i>Vitericus, anno D.N.</i>	603.		
24	<i>Gundimarus, anno D.N.</i>	610.	<i>Eringius, anno D.N.</i>	682.
25	<i>Sisebutus Rex Christianissimus,</i>	612.	<i>Egipta, anno D.N.</i>	689.
26	<i>Riccareodus II. anno D.N.</i>	620.	<i>Vitisa, anno D.N.</i>	704.
27	<i>Suintilla. Primus hic Hispaniae Monarchiam obtinuit, expulsis inde Romanis, anno</i>	38	<i>Costa, anno D.N.</i>	707.
		39	<i>Rodericus, anno D.N.</i>	713.

